



Marcellus Palingenius


MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
OF·GEMS·&c GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND
MINERALS
EX LIBRIS
JOHN SIN KAN KAS

Marcellus Palingenius

PALINGENIUS, MARCELLUS = MANZOLLI or MANZ

poet, born at Stellata, on the Po, Italy;

circumstances of his life are unknown. He

"Zodiac of Life,"("Zodiacus Vitae, Bâle,

after the signs of the zodiac. "It is not

by no means without strong passages of se

metre."



OLI, PIETRO or PIER ANGELO, a Latin


fl ca. 1510-40. Events and

wrote a long moral poem entitled

1537), the books of which are named

very poetical," says Hallam, "but

nse and spirit, in a lax Horatian





MARCELLI PALINGENII
STELLATI POETÆ
ZODIACVS VITÆ.

MARCELLI PALINGENII

Stellati Poëtæ doctissimi,

ZODIACUS VITÆ.

De Vita, Studio, ac Moribus Hominum optimè instituendis.

LIBRI XII.

Additis, qvæ nusqvam hactenus inveniebantur, singulorum librorum summariis.

Cum Indice locupletissimo.

EDITIO NOVA.

Diu desiderata.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ.
Impensis CHRISTIANI LIEBEZEITII.

LEOBURGI,
Literis CHRISTIANI ALBERTI PFEIFFERI,
Anno M DCC IV.



D. ELSALINO CARTER,

Medico Rotterodamensi,

Hanc novam

MARCELLI PALINGENII

Poëtæ doctissimi

Editionem,

Dedicat

ISAACUS van RUYNEN,

 Ad



AD

ILLUSTRISSIMUM, OMNIQVE LAUDE DIGNISSIMUM

FERRARIÆ DUCEM

HERCULEM SECUNDUM,

MARCELLI PALINGENII

Stellati

PRÆFATIO.



Onſverunt ſcriptores, tum antiqui tum recentiores, Illuſtrisſime atqve Invictisſime Dux HERCULES, Eſtrenſis Familiæ ſummum decus, ſplendor, & gloria, poſtqvam libros ſuos, imò liberos, qvos ingenio ſuo veluti pepererunt, ad calcem perduxêre, illisqve ultimam manum impoſuêre, Virum qvempiam amplisſima

ſima dignitate ac poteſtate conſpicuum qværere, cui ſuos labores, libros, opera & monumenta dedicent, nuncupent, atqve commendent, ut ejus favore ac patrocinio muniti, peſtilentisſima invidorum ſpicula, criticorumqve temeritatem non reformident. Qvandoqvidem in hac vitæ tragicomœdia contingere plerumqve ſolet, ut ignavi homines voluptatibus addicti, eos contemnant qvos virtute præſtare vident. Divina tamen providentia fieri ſemper ſolet, ut in tanto humanæ vitæ errore, aliqvis Princeps reperiatur qvi virtutem diligat, ſuoqve patrocinio tueatur: ne ſtudioſis viris præſidium deſit, & locus ad qvem confugere valeant. Cæterùm, ut antiqvos Reges atqve Imperatores ſilentio prætercam, qvi viros ingenio præcellentes amplexi ſunt, Tu unus es tempeſtate noſtra, Dux Excellentisſime, cui Deus talem tribuit mentem, ut nil pulchrius, nil honeſtius, nil divinius virtute ipſa exiſtimes: ideoqve virtutem habentibus præſtò eſſe conſueviſti. Minimè mirum igitur videri

ri debet si ad celsitudinem Tuam confugi, librosqve meos Tibi dedicare constitui. Nam qvem alium patronum in tota Italia invenire possem, cui musæ cordi sint? qvi carmen sibi oblatum aut intelligat, aut examine recto expendere sciat? O corruptissima tempora! Qvid mihi cum principe, qvi alienis oculis videt? ore loqvitur alieno? illum volo, qvi per se possit curvum discernere recto: cui non ausint maligni homines dicere candida de nigris, & de candentibus atra. Talem igitur cum Te esse omnes prædicent, Dux Illustrissime, audacter ad Te profectus sum: eo maximè qvod Antonius Musa Erasavolus, Vir singulari doctrina integritateqve conspicuus, qvi Excellentiam tuam fidelissime colit, mihi de Te spem optimam attulit: qvippe qvi doctrinam, prudentiam, humanitatem, liberalitatemqve tuam mirificè apud me commendavit. Cujus verbis tantum habeo fidei, qvantum dici possit. Eo igitur svadente, opus nostrum, cui titulus est ZODIACUS VITÆ, in

duo-

duodecim libros digeſtum, multosqve per annos elaboratum, Celſitudini tuæ donamus, dicamus, nuncupamus: ut apud poſteros nomen tuum clarum ac memorabile fiat. Sed qvanqvam longè pretioſiore munere dignus es, tamen hoc exiguum noſtrum accipere tua Celſitudo ne dedignetur: magisqve donantis animum, qvam donum ipſum aſpicere velit. Spero tamen fore, ſi opus hoc tuis auſpiciis ſemel in lucem eruperit, ut apud viros bonos ac verè doctos laudem haud ſpernendam ſit habiturum, præſertim apud poſteros. Qvandoqvidem poſteritas ipſa ſolet absqve invidia judicare, juxta illud, Paſcitur in vivis livor, poſt fata qvieſcit. Nonne ſua etiam ſæcula Mæonidem riſere? Accipe igitur, Dux Illuſtrisſime, exiguum pauperis clientis munus: tuoqve favore, qvaſi Palladis ægide, ab invidorum maledictis defende. Si tamen in tanto opere aliqvid fortè reperitur qvod à noſtra religione aliqvantum diſſentire videatur, mihi minimè imputandum cenſeo. Nam dum aliqvan-

do de rebus Philoſophicis loqvor, diverſorum Philoſophorum opiniones refero, præſertim Platonicorum. Qvæ ſi falſæ ſunt & erroribus nec paucis, nec levibus involutæ, eqvidem non ego, ſed ipſi reprehendi debent: cùm mea ſit intentio, à Catholica fide nunqvam declinare: Neqvaqvam igitur exiſtimandum eſt me harum opinionum defenſioni aut ſeriæ aſſertioni mordicus velle inhærere, nam clarè profiteor, & omnibus hæc lecturis teſtatum eſſe volo, me in omuibus qvæ hoc in opere ſcripſi, Orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ judicio ſubmittere, ejusqve cenſuram, ut virum Chriſtianum decet, libenter accipere. Vale Princeps Optime,

Dii Te nobis diutisſimè
ſervent.

THO-

THOMAS SCAURANUS

AD LECTOREM.

PRælia grandiloquo ſcribunt mavortia verſu,
Pugnaceſque ſolent tollere ad aſtra viros,
Aut mæſtos referunt alterno carmine caſus,
Aut lyricis celebrant te Cytherea modis
Multi atque egregii vates, Oenotria tellus
Quos tulit, aut Graji quælibet ora ſoli.
Hæc via jam cunctis nota eſt, hæc tria poëtis
Materia, hanc omnis tractat ubique liber.
Sed pauci, heu nimium pauci, tentare ſeveras
Conantur docto carmine Pieridas.
Pauci audent veri cæcas aperire latebras.
Quiſque jocos ſequitur, ſeria quiſque fugit.
Quàm facile eſt chartas nugis implere canoris,
Quàm facile in calamum fabula blanda venit?
Auſonios inter vates Lucretius unus,
Scrutator veri ſedulus ipſe fuit:
Abdita naturæ cupiens irrumpere clauſtra,
Et ſuperos acie mentis adire Deos.
Sæpe tamen recto deflectit tramite, & errat,
Deceptus dictis, ô Epicure, tuis.
At nunc Marcellus meliori numine ductus,
Vera magis, necnon utiliora canit.
De diis, deque anima oſtendit quid credere ſit fas,
Dum ſequitur noſtræ religionis iter.

Car-

Carmine complexus, Phœbo Musisque secundis,
Quæ intra se, & quæ extra maximus orbis habet,
Vive igitur felix, Vates dignissime, donec
Suspendet mundi pondera uterque polus.
Tu Marcellus eris: nunquam tua fama peribit,
Et tua laus nullo est interitura die,
Candide Lector habes divinum carmen, in illo
Invenies animi grata alimenta tui.
Quæ sunt summa bona, & quo pacto ducere vitam
Conveniat, præsens hoc tibi pandit opus.
Hoc tibi dat sophiæ cœlestia munera, per quæ
Te poteris summo conciliare Jovi:
Hoc tibi naturæ mysteria multa recludit:
Denique te doctum, te facit esse bonum.
Zodiacus vitæ fertur: quia vita per ipsum
Ducta nitet, ceu sol per sua signa means.
Majoremque ut sol mundum, sic iste minorem
Illustrat, vegetat, ornat, alitque liber.
Quem quicunque Deo charus cupit esse, tenebis
Sæpe manu, & magna sedulitate leget.





MARCELLI PALINGENII Stellati Poëtæ ZODIACUS VITÆ.

LIBER PRIMUS.

Synopsis LIBRI I.

Hôc librô, qvi (ut ipse versu ultimo innuit) præludii loco præmittitur, post brevem apostrophen ad Apollinem, Musas, Ferrariæqve Ducem, propositum suum exponit author; scribendi nempe multa diversa, tam qvæ ad scientias & artes, qvam ad mores pertinent; adeo ut qvicqvam inde boni valeant haurire legentes; vanitatem aliorum scriptorum explodens. Propositâqve qvæstione utrum doctum an bonum esse præstet; probitatem doctrinæ præfert,

ARIES.

MENS mea nescio qvo jamdudum impulsa furore
Ardet lauriferos Parnassi invisere colles,
Ruraqve Castaliæ Musis celebrata canoris:

Cirrha placet, ſemperq; virens nemus, ô ego qvantas
Effugiam tenebras ! video ſurgentis Eoo
Liciferi radios, paulatim albeſcere cœlo.
Livor abi, & ſtygio procul hinc te abſconde profũdo.
Vincit amor Muſæ, vincit Deus: ardua qvamvis
Sit via, non metuit virtus invicta laborem.
Phœbe pater, vatumqve decus, da noſcere calles
Ambiguos: avidumqve reple ambroſia Aganippe:
Lux tua monſtret iter, per qvod penetralia templi
Ingrediar veneranda tui, & me ſubtrahe vulgo.
Non ego, qvod veniam novus ignotusqve ſacerdos
Gratus ero fortaſſe minus: ſi numine dextro
Excipies, blandoqve ſinu. Tu tollis ab imo,
Nobilitasqve viros: ſine te mortale peribit
Ingenium, vox rauceſcet, nil dulce ſonabit
Vana chelys: qvòd ſi fueris mihi dexter, adibo
Sidera, ſpectabitqve altos mens enthea divos.
Sis igitur mihi, qvæſo, favens Latoë tuumqve
Tollere humo (niſi fata vetent) dignare clientem.
Et vos Caſtalides Nymphæ, ſi pectore puro
Limina veſtra adii, ſi non contagia cæcæ
Luxuriæ juvenem potuere avertere veſtro
A cultu, nec me vicit veſana libido,
Tradite me famæ, ne prorſus inutilis olim
Vixiſſe hic videar, pereamqve in funere totus.
Spes famæ ſolet ad virtutem impellere multos.
Tu verò Dux, Herculeo qvi nomine gaudes,
Auſonios inter proceres celeberrime noſtro
Tempore, Eſtenſis certiſſima gloria gentis,
Qvem Parnaſſiacis Pallas nutrivit in antris,
Et ſacro à teneris aluerunt lacte Camœnæ,
Unde ſibi ſperant decus immortale futurum,
Cirrhæasqve iterum per te revireſcere lauros:

Qvanqvã obſtat Mavors, atq; invidus in ſua qværit
Promiſſis, aliisqve modis, te ducere caſtra,
Caſtra ubi perpetuos merearis victor honores,
Et tua lauriferis decorentur ſigna triumphis,
Adſis, & placido vultu dignare poëtam
Aſpicere, inſolitas intentatasqve volentem
Ire vias, vatum qvas non ulla orbita ſignat
Hactenus, & timido optatum largire favorem.
Sic tua te incolumem videat Ferraria ſemper,
Donec poſt longæ felicia tempora vitæ,
Decedens terris, ad cœli ſidera migres.
Illa dies olim veniet (modò ſtamina nobis
Longa trahat Lacheſis) qvum te & tua facta canemus
Uberius, nomenqve tuum Gangetica tellus,
Et Tarteſſiaci reſonabunt littora ponti:
Ibit Hyperboreas paſſim tua fama per urbes,
Et per me extremis Libyæ noſceris in oris.
Tunc ego majori Muſarum percius œſtro,
Omnibus oſtendam qvanto tenearis amore
Juſtitiæ, ſit qvanta tibi pietasqve fidesqve,
Qvantum conſilio valeas, & fortibus armis:
Qvàm ſis munificus, qvàm clemens: deniq; per me
Ingenium moresqve tuos mirabitur orbis.
At nunc iſta, tibi qvæ tradimus, accipe læto
Interea vultu, præſentibus annue cœptis.
Scribere fert animus multa & diverſa, nec uno
Gurgite verſari ſemper: qvò ſtamina ducent
Ibimus, & nunc has, nunc illas nabimus undas,
Ardua nunc ponti, nunc littora tuta petemus,
Et qvanqvam interdum fretus ratione, latentes
Naturæ tentabo vias, atqve abdita pandam,
Præcipuè tamen illa ſeqvar qvæcunqve videntur
Prodeſſe, ac ſanctos mortalibus addere mores,

Heu penitus (liceat verum mihi dicere) noſtro
Extinctos ævo: qvò non obſcœnius ullum
Aut fuit, aut poſthac erit: & qvæcunqve nocentes
Langventi valeant animo detrudere morbos.
Non melior, non virginibus magis apta Camœnis
Materies, qvàm qvæ tractat de moribus, ulla eſt.
Hæc hominem reddit ſanum, ingenioq; valentem,
Sit qvamvis hebes, & ſtolidi cognatus aſelli,
Impius, & recti contemtor, turpiter & qvi
Luxuriam ſeqvitur, vel qvem ſcelerata cupido
Sollicitat, cujusve premit præcordia dirum
Invidia virus: mendax, vafer, atqve bibendi
Conſultus, demum vitio qvocunqve laborans.
Hac poterit ſola perverſæ crimina mentis
Exuere, atqve viam vitæ reperire ſalubrem.
Efficit hæc claros homines, & honoribus aptos,
Qvi ſibimet, domuiqve ſuæ, patriæqve decenter
Conſulere, ac dubiis rebus ſuccurrere norint.
Non tantum facies roſeo niveoqve colore
Miſta placet, pulchriqve oculi, pulchriqve capilli,
Singulaqve æthereas imitantia membra figuras:
Qvantum compoſiti mores, & ſplendor honeſtæ
Mentis, qvam vitio virtus ſecluſit ab omni:
Qvid qvòd juſtitiæ cultor, morumqve bonorum
Lætus agit, ſperatqve Deos ſibi profore ſemper?
Nec curat, ſiqvis ſecreta in aure loqvatur:
Nec trepidat Regis, vel judicis ora vocatus:
Contra qvi malus eſt, formidat ſemper apertum
Ne fiat facinus, qvòd clam commiſit: & ictus
Fulmineos, tonitru audito, ſibi conſcius horret.
Siqvid ſecum homines muſſant, nunc dicitur eheu
De me, nunc recitant noſtræ præconia culpæ.
Qvid faciam? judex, vel Rex me accerſit, adibon?

An potius fugiam miſeræ diſcrimina vitæ?
Lege deûm ſtabili ſemper metus angit iniqvos.
Namqve malus, qvanqvam interdum gaudere videtur,
Æſtuat ipſe tamen mediis ut ſtrongylos undis,
Æthnave qvum fabricat flagrantia tela Pyracmon.
Num magis ergo canam mille oppugnata carinis
Pergama, perjurum ſtultè miſerata Sinonem?
Ogygiasve domos infauſto Marte petitas?
An laudabo aliqvem dictis mendacibus, ut pars
Magna ſolet vatum & corvum phœnica vocabo?
Num melius, plumis Junonia regna ſecantem
Dædalon, Icarioſqve auſus & fata gementem,
Mutataſqve deûm atqve hominum memorare figuras?
Et vacuas aures nugis mulcere canoris?
Num melius juvenum laſcivos dicere amores,
Qvodqve nefas majus, dictis temerare prophanis
Cœlicolas? qvid enim dementia noſtra veretur?
Concumbunt, rapiunt pueros, vitiantqve puellas:
In cœlo eſt meretrix, in cœlo eſt turpis adulter.
Prò pudor! hæc pietas? hoc fas? hæc debita divis
Gratia, thura, foci, pecudes, altaria, laudes?
Qvid non mentiri, vel qvid non potius audet
Fingere mortale ingenium: ut ſibi major eundi
In præceps pateat via, liberiorqve poteſtas
Peccandi detur, minus & peccata pudoris
In ſe contineant? O ſtulta! ô putida certè
Scriptorum turba Anticyris puganda duabus,
Ad vos hic ſermo eſt: alios vexatis & ipſi:
Nec parcit cuiqvam veſtræ petulantia lingvæ.
Qvid mirum, ſi vos eadem qvoqꝫ fulmina tangunt?
Dicite, qvid tantum noctesqve diesqve laborem

Fertis? duntaxat pro vobis? at nihil inde
Laudis habere licet: nam qvi ſua com̄oda ſolum
Qvœrit, nec prodeſſe aliis curat, potius ſed
Damna aliena malus ridet, dum qvod ſibi credit
Utile perficiat, ſæviſſima jure meretur
Bellua, non homo dici: Ergo ſic ſcribere oportet,
Ut qvicqvam inde boni valeant haurire legentes,
Ne fruſtra tempus ſeſe triviſſe qværantur
Fallaces nugas & inania monſtra legendo.
Atqvi ſcire opus eſt, triplex eſſe genus bonorum,
Utile, delectans, majusqve ambobus honeſtum.
Horum aliqvod, vel plura ferat qvodcunqve poëma,
Sic tamen, ut metæ nunqvam frangantur honeſti.
Sed qvibus eſt dignus titulis, qvalive corona,
Qvi non vana modò, ac nullam præbentia frugem,
Verùm qvæ potiús vitam corrumpere, necnon
Inſanis posſint majorem adhibere furorem,
Affigit chartis, diræ monumenta relinqvens
Luxuriæ, & populis deliramenta futuris?
Heu qvantos urget ſtimulos, & qvalia neqvam
Sermo animis aconita propinat, ab auribus audet
Improba vox, imas cordis penetrare latebras;
Ad ſcelus inde ſolet torpentia membra movere,
Dicet fortè aliqvis, delectant talia magnum
Sæpe virum, cujus florente ſattelles in aula
Plurimus eſt, & qvem rerum jubet eſſe verendum
Copia, cui ridet modici fortuna cerebri.
Qvid tum? proinde licent, & ſunt laudanda, qvod ipſis
Divitibus placeant? Non ſic, nam qvilibet haud ſcit,
Qvot bipedes aurum, qvot purpura veſtit aſellos.
Sunt ô ſunt multi, Sidonia concha ſuperbos

Qvos facit. & Seres depexæ frondis honore
Obducunt, qvorum digitis nitet aureus ingens
Annulus & rubro collecta in littore gemma:
Hos tu jurares magnum ſuperare Platona
Ingenio, & ſanctis non cedere moribus illi,
Qvem ſolum cecinit Phœbi cortina beatum.
Nil tamen intus habet ſpecies hæc tanta: ſed ipſos
Nomine non vano, ventoſos dixeris utres.
Magna voluptatem generat fortuna, voluptas
Stultitiam, & prorſus lumen rationis obumbrat.
Inde fit ut rarò ſapiant, tolerare laborem
Propter virtutem qvis vult, ſi præmia deſint?
Præmia qvis qværit, niſi qvem dura urget egeſtas?
Gaudia ſectatur dives, dulcemqve qvietem:
Dumoſos odit calles, clivosqve viarum
Difficiles, per qvas doctrinæ ſcandimus arcem.
Non poſſum tota non excandeſcere bile:
Qvin ego devoveo verſus pariterqve poëtas,
Cum video pueros, obſcœna docente Magiſtro
Carmina, pejores fieri, primumqve pudorem
Linqvere paulatim, & ſceleratos diſcere mores,
Unde magis poſſit nativa augerier illis
Neqvitia, & citius ſub tartara delabantur.
Sed mihi non deſunt ſolatia debita: nam cùm
Scribant, ut magnam poſſint acqvirere laudem,
Magnam ignominiam pro laude, & dedecus ingens
Accipiunt: meritò qvis enim non judicet illos
Flagitio imbutos omni, talesqve fuiſſe,
Qvalia ſunt chartis qvæ mandavere nefandis?
Index eſt animi ſermo, morumqve fidelis
Haud dubiè teſtis: qvoniam qvisqve illa libenter,
Et crebro loqvitur, qvibus oblectatur. araror
De bobus, raſtris, de vomere: navita narrat

De velis, remis, de reſtibus, atqve carinis:
Miles eqvos memorat, gladios, haſtilia, pugnas;
Sic obſcœni homines plerunq; obſcœna loqvuntur.
Vos moneo, qvorum eſt fidei commiſſa juventus,
Et qvorum eſt teneras puerorum fingere mentes,
Ceu molles digito ceras: hæc ſcripta peroſi
Deteriora, aliis incumbite: & illa docete,
Arida qvæ non ſint, & non indigna referri;
Hiſtoriæ placeant noſtrates, ac peregrinæ:
His ſe cirrati oblectent, has mente reponant.
Nectareos manant ſuccos, (mihi credite,) vitam
Inſtituunt, qvæ ſint fugienda ſeqvendaq; monſtrãt.
Fabula non omnis ſpernenda eſt: ſæpe legatur
Utile qvid moneat puris Comædia verbis.
Sunt etiam (fateor) complura poëmata, pravis
Haud temerata jocis: ſed qvæ gravitate virili
Procedunt, placidoqve tegunt ſub cortice mella;
Iſta juvant, eadem pariter ſine crimine proſunt:
Iſtis diſcipulos epulis educite veſtros.
Firmior at poſtqvam vivendo acceſſerit ætas,
Liberius poterunt lato diſcurrere campo,
Et qvaſcunqve volent, decerpere tutius herbas.
Eſt operæ pretium poſt hæc perpendere, majus
Utrum opus, atq; utrum potiori in ſede locandum,
Qvo probitas, an qvo tantum ipſa ſcientia creſcit:
Præſtet utrum eſſe bonum, an doctum. divina qvidem res
Doctrina eſt, decorat mites, oditqve ſuperbos:
Ipſa voluptatis refugit ſomniqve clientes:
Nec niſi per longum tempus, multoqve labore
Percipitur, regit hæc urbes: hæc arma ciere,
Hæc auferre poteſt terras & ſidera monſtrat,
Morborum expultrix: varias formare figuras,

Et numerare docet, fidibusqve apponere vocem.
Tecta Dei ſcandit, naturæ arcana recludit:
Qua ſine nemo poteſt perfectus dicier, hæc nos
Diſſimiles pecudum reddit, ſimileſq́ deorum:
Fit tamen exigui pretii, perditqve nitorem
Ipſa ſuum, qvoties vitiorum fæcibus oblita
Induit informes vultus: ceu ſordet Jaſpis,
In putri demerſa luto: ceu phœbus ab atra
Obductus nebula, vel cum premit ora ſororis.
Nec modo vileſcit, ſed fit qvoqve noxia: qvippe
Si malus hanc habeat, poteris conceſſa furenti
Dicere tela, qvibus valeat transfigere plures,
Bacchariqve magis. Qvisqvis ſine crimine vitam
Ducere conatur, divina humanaqve ſervans
Jura ſceluſqve cavens, tanqvam præviſa draconis
Guttura, qvem ſtimulat paſtus inſana cupido:
Sit licet opilio, vel agaſo, aut mulio, libros
Qvi nullos penitus norit, precioſus haberi,
Laudibus ac debet magnis ornarier: illum
Spernere non homines, non cæli numina poſſunt.
Qvis, niſi mentis inops, virtutumqve improbus hoſtis,
Non amet, atqve illum laudet, qvi ſacra veretur,
Juſtitiamqve colit: cæco non vincitur auro,
Non aliena rapit, miſeris ſuccurrit, & arcet
Infames à ſe: aſt humiles ſovet, impia lingvæ
Mordacis vitat contagia, lædere qvenqvam
Non gaudet, potius cunctis prodeſſe laborat?
Qvodq́ decus mirum eſt, in re qvacunq́ modeſtum
Oſtendit ſeſe? fœlix hic nempe, ſed illum
Felicem magis eſſe reor, qvi pollet utroqve,
Qvi probus atqve idem doctus: diademate talem
Qvis dignum neget? hic aliis præcellit, ut aurum

Eſt orichalco nobilius, vitroqve pyropus.
Tu tamen invenies raro peccare peritum,
Vel cautè, aut levius: rudibus vix ulla pudoris
Eſt ratio, atqve palam vetitos labuntur in actus,
Irridetqve ſacras petulans inſcitia leges
Ut cæcus neſcit ſcrobibus divertere ab imis,
Impinguntqve pedem tenebroſa nocte vagantes,
Qvum ſilet inferno recubens proſerpina lecto:
Sic mens qvæ cæca eſt, ſine lumine doctrinarum,
In qvodcunqve nefas facili deſcendere lapſu
Non dubitat, niſi ſit pœnæ compreſſa timore:
Nec qvicqvam qvod non placeat ſibi, judicat æqvum.
Sæpe vicem tamen ipſa gerit natura magiſtri,
Inqve utero ingenium multis largitur: ut illi,
Qvod ſchola non docuit, cœleſti munere diſcant.
Qvid prohibet tales inſontem ducere vitam?
Maxima ergo illi debetur gratia, cujus
Præſtat utrumqve liber. Biſidi vos numina montis,
Qvæ colui, qvibus & reliqvos devovimus annos,
Munera ſi fas eſt parvos tam magna rogare,
Tale mihi carmen qvæſo concedite: vel me
A pipere & ſcombris ſaltem defendite, noſtros
Tardipedis nec Vulcani voret ira labores.
Hactenus hæc Aries, qvi noſtri limina ſervat
Zodiaci, jam vult properanti cedere Tauro,
Meqve novi finire jubet præludia cantus,

LIBER SECUNDUS.

Synopſis LIBRI II.

De ſummo bono acturus author: id in divitiis perperam qværi oſtendit, multisqve rationibus evincit. Doctrinam & virtutem commendat pariter. Et qvamvis pauperi difficilis admodum ad ſcientias ſit aditus, obſtetqve mens obſita curis & ſemper de pane ſollicita, adeoqve miſer videatur, concludit tamen melius eſſe mendicum vivere dum te cœlicolis ſimilem divina ſcientia reddat; qvam immenſas divitias ſine virtute & ſcientia poſſidere. Cum diſertus nunqvam fame pereat, & ſua gaudia pauper habeat: omnium rerum abundantia vero haud raro poſſeſſoribus nauſeam moveat.

TAURUS.

TRaxiſti longam portu mea cymba qvietem:
Jam tempus dare vela notis & ſolvere funem:
Ceſſit hyems, canæqve nives de montibus altis
Diſtillant, viret omne ſolum, lapſasqve reponit
Syſva comas, renovat dulces Phylomela qverelas?
Floribus ornatæ crines per prata Napææ
Deducunt choreas, Dryades, Satyriqve petulci
Carmina muſcoſis iterant laſciva ſub antris:
Aurea nunc volucer jaculatur tela Cupido,
Et juvenum placidis incendit pectora flammis.
Jam tutum vaſtos pelagi proſcindere campos:
Unda ſilet, Zephyrus redit expectatus ab orbe
Occiduo: qvid ſtulta times? eſt lucidus aër,
Atqve ſuo curſum ſuadent Alantides ortu.

Qvid

Qvid tibi continget tranqvilla per otia laudis?
Laurea deſidiæ præbetur nulla: potenti
Eſto animo, atqve aude: audenti fortuna favorem
Sæpè tulit, pavidosqve vetat gaudere triumpho.
Ut video, terrent rictu te monſtra canino:
Sed turpe eſt, fœdis virtutem cedere monſtris.
Perge igitur, jam rumpe moras, altumq; petamus,
Rex ille omnipotens, vaſto qvi præſidet orbi,
Aurea qvi ſolo moderatur ſidera nutu,
Tot voluit latas habitare animalia terras,
Tot pontum & liqvidis vitam ſervare ſub undis
Orba ſuis ne tanta forent elementa colonis.
Ex his tantum homini, qvid ſit cognoſcere verum,
Qvidve decens, & poſſe loqvi, conceſſit: at ore
Cætera ſunt muto, & tellurem cernua lambunt,
Hic ratione potens, validiſſima qvæqve ſubegit:
Alipedes tigres, iracundosqve leones.
Et qvamvis diro ſint corpora plena veneno
Serpentum, tamen hunc metuunt, huic maxima cedit
Oceani moles, oris Balæna ſupini.
Hoc ſine, qvid tellus eſſet? denſiſſima certè
Sentibus & nullas ſegetes inculta crearet.
Hic leges, & qvæ ſervantur legibus urbes,
Condidit: ornavit cœleſtia numina templis,
Repperit innumeras artes, imitantia fulmen
Tormenta, emiſſum qvibus, ignis turbine clauſi,
Per ſpacia effertur longè diſtantia plumbum:
Qvo pulſæ turres, & mœnia celſa trahuntur
In præceps: vaſtoſqve procul qvicunqve boatus
Accepit, dubius ſe audiſſe tonitrua credit.
Væ vobis ſuperi, ſi talia fortè Gigantes
Olim Phlegræis habuiſſent fulmina campis.

Rep-

Repperit & puppes, vetitum qvibus ire per æqvor
Poſſet, & extremum ventis famulantibus orbem.
Qværere, qva Titan populos deſpectat Eoos,
Et Tarteſſiaca pronus qvà mergitur unda,
Qva Cynoſura nitet: & qva contrarius axis.
Aſpicit Antipodas pendentes vertice: qvi jam
Caſuri, opponunt pedibus veſtigia noſtris.
Cum tamen ingenio excellat, mentiſqve vigore,
Ut credi poſſit divino ex ſemine natus,
Neſcit adhuc, nec ſcire ſtudet (res mira, nefaſqve
Et centum tauris, & larga cæde piandum)
Vivere qvo pacto, vel qvid vitare, ſeqvive
Debeat, ò cæcis mortalia plena tenebris
Pectora, & ò mentes caligine circum ſeptas
Stultitiæ incedunt deſerta per avia: vix heu,
Vix paucis noviſſe datum, qvo tendere tutum,
Qva ſit iter, per qvod vera & bona ſumma petantur.
Non docet hoc gemini nodoſa ſcientia Juris,
Non qvæ Pæonio ſanat medicamine morbos.
Non Rhetor, non Grammaticus. Sapientia ſola
Hoc aperit: fida hæc hominum dux atqve magiſtra eſt.
Hanc mihi ſi dederit Deus, & ſubtemina ſi non
Ante diem triplices truncabunt noſtra ſorores:
Ipſe bonum ſummum qvod ſit, qvi poſſit haberi,
Ut ſpero, expediam, qvamqvam hæc provincia magna eſt.
Principio ſum̃um eſſe bonum pars maxima cenſet,
Numorum plenam bene ſemper habere crumenam
Atqve auri tantum, qvantum vel Lydius amnis,
Vel Tagus, æqvoreas ſplendens eructat in undas:
Jugera tot campi, qvot crines vertice: longum
Poſſediſſe agmen ſervorum, armenta, gregeſqve

Qvot

Qvot non Trinacriis pavit Polyphemus in arvis,
Qvot nec Ariſtæo fuerant, Tirynthius & qvot
Non Erythæcis rulit à præſepibus Heros.
Pulchraqve ut Alcinoi pomaria, & Heſperethuſæ:
Necnon marmoreis miranda palatia cruſtis.
Hæc ſunt qvæ cupiunt omnes, qvæ qvisq; reqvirit:
Qvæ ſuperos genitrix tenero petit anxia nato
Supplicibus votis. his qvi affluit, eſſe beatum,
Felicemqve putat craſſi dementia vulgi.
Sed neſcit qvanti lateant ſub floribus hydri,
Qvotqve roſas inter ſpinæ naſcantur acutæ,
Illum etenim qvisqvis fieri vult dives, oportet
Nocte dieqve animo diverſas volvere curas,
Fortuna variante vices: nunc cogitat unum,
Nunc aliud: ſi fortè epulis accumbit, iniqvæ
Morſus avaritiæ ſtimulat, vix ulla palato
Eſca placet, properatqve ingratas linqvere menſas,
Abſtrahit inde illum exigui ſpes dira lucelli:
Vix ſomnum capiunt nocturno tempore ocelli:
In latus, in faciem jacet, & qvandoqve ſupinus,
Verſaturqve thoro: haud aliter qvàm ſaxea moles
Siſyphia revoluta manu, qvid luce peracta
Geſſerit, & qvid ſit redituro ſole gerendum,
Penſitat, en pereunt pecudes, cras pabula qværam,
O brumæ devota dies, qvam frigora bobus
Hæc nocuere meis: ſed diſpenſator iniqvus,
Paſtoresqve mali rapiunt hi: decipit ille:
Invaſere lupi caulas, prædatus & ipſum
Eſt pecus inſanus miles, magalia fregit,
Incendit ſegetes, deſecta eſt vinea ferro:
Debitor aufugiens, portat cum fœnore ſortem.
Nulla fides, nulla eſt homini reverentia divum:
Omnia plena dolis. Proh Jupiter, ille bonus vir
Pror-

Prorſus habebatur; ſed fallax gratia lingvæ,
Atqve oris, non eſt ſemper vera effigiei
Regula: qvid doleam? remeat mea navis, & affert
Lucroſas, ohe, merces: grave pondus amomi,
Thura, electra, piper, Serum velamina, veſtes
Sidonias, mercéſqve alias, qvas vexit ab Indis:
Qvàm ſi concurſu Symplegades infregiſſent,
Si vel Scylla vorax, dubii vel ſaxa Capharei.
Solviſſent tabulas, muliebri more qverelis
Impleſſem totas ædes, lacrymisqve maderent
Pectora, non deerunt nummi, niſi vivere deſit.
Nil frumenta valent: qvid tum; mercabor olivum:
Eſt fodiendus ager, jaciendaqve ſemina, meſſes
Occandæ, fabricanda domus, viteſqve putandæ:
Illud emam, hoc vendam: accipiam, & qvod debeo reddam.
Non ſecus huc illuc impellitur, ac pila magno
Luſorum cœtu ſolet, aſpiciente theatro.
Jactari: hinc atqve hinc ingenti miſſa tumultu
Pellitur, ille ferit pugnis, hic calce retundit
Lætitia, mœrore, metu, ſpe, fluctuat æſtu:
Continuo: veluti ventorum flatibus æqvor:
Ixion verus, qvi captus imagine nubis,
Concubitu fœdo prolem genuiſſe biformem
Dicitur: unde ejus voluit ſine fine rotari
Membra, colubriferis radiis affixa? Deum rex.
Divitiæ qvid ſunt? res nempe ſimillima nubi,
Qvam ſi Riphæo Boreas demiſſus ab axe
Incutiat, videas unde eſt concreta, reſolvi
In tenues fumos: monſtra hinc gignuntur, habentia
Humanam faciem. qvid enim ſpecioſius iſpo
Divitis aſpectu primo? ſed noſcere poſtqvam

Ipſi-

Ipſius vitam licuit, diverſa videntur
Partibus à tergo non reſpondentia primis.
Aſſiduo motu rotat hunc fortuna, colubri
Agmina cunarum ſunt, qvæ præcordia rodunt.
Vel ſcit vel neſcit dives, qvæ poſſideat, ſi
Neſcit, qvid proſunt? qvoniam nil inde boni, vel
Accipit adverſi, velut is qvi non habet, at ſi
Qvæ ſua ſunt novit, vel amat, vel non amat illa.
Si non, cur tenet hæc? ex his qvæ gaudia ſumit?
Qvalia, qvum potat ſuccos abſtemius uvæ.
Si qvidem amat, pariter curat, ſtudet illa tueri
Proqve his ſervandis eſt anxius, atqve laborat
Sollicitatqve illum qvicqvid contingere rebus
Poſſe mali credit qvas poſſidet: excruciatur
Si perit inde aliqvid: fieri qvod ſæpe neceſſe eſt,
Cum nil ſtare diu vides, incommoda cum ſint
In promptu ſemper: demum qvo plura tenebit,
Hoc plus curarum accedet, ſæviqve laboris.
Qvid memorem, ſubeat qvam crebra pericula ponto,
Ac terris, cenſum cupiens augere paternum;
Sylvicolas latrones, ponticolas piratas
Sæpè fugit: capitur tandem; laniandaqve phocis
Viſcera, ſive lupis præbet, capitivus herili
Collum ſæpè jugo ſummittere cogitur, is, qvi
Ut dominus fieret, ſe objecit caſibus audax:
Vix menſa tutus propria, propriove cubili,
Exitiale datur ſitienti ſæpè venenum,
Stertentemve necat cupidi manus impia ſervi.
Pingvior in cœdem ut petitur magis hoſtia, necnon
Nobilior potius ſpoliatur fructibus arbos,
Utqve apibus muſciſqve perit qvæ dulcior uva eſt,
Sic cui plura dedit ſors & meliora tenenda,

Inſi-

Insidias patitur plures, propriorqve periclo est.
Nota Syracusii solertia mira tyranni:
Euge bone, es felix? qvidni? non pocula desunt,
Non epulæ, pueri, sceptrum, diadema, cupitæ
Deliciæ: gemmis, auro (qvod cernis) abundas.
Heu mihi: namqve tholo seta suspensus eqvina
Ensis adest, jamjam miseri caput infodietur.
Invidia vexantur opes: namqve optima livor
Qvæqve malus lædens, odit felicia semper.
Hoc pretio, miseri, damnosum qværitis aurum,
Vestra Palæstinæ stimulent ut corda sorores,
Assiduè, ac nigrum citius tendatis ad orcum.
Nonne Midæ, fulvo qvem Bacchi dona metallo
Ditarunt, cunctis ridenda insania? jure
Huic asini auriculas, iratus Phœbe dedisti,
Aurum cuncta precor fiant qvæ corpore tangam:
Mox petiit stolidus primis contraria votis,
Qvum cibus in vacuam nullus descenderet alvum.
Talis avare tibi fortuna est pessime, qvicum
Plus habeas, plus semper eges: ut Tantalon undis
In mediis cruciat sitis arida, si tibi pleno
Effundit cornu, qvicqvid vis, Copia, numqvid
Qvod satis, an nimium, sumes? hoc officit; illud
Qvisqvis habere volet facili mercede parabit.
Nostra etenim minimis rebus contenta qviescit
Natura, in vitium si non delapsa repugnet.
Divitis in mensam sylvæ pelagiqve feruntur
Optima, non desunt lepores, non caprea, cervus,
Hœdus, aper, volucrumqve genus, non turdus obesus,
Perdix, ficedulæ, necnon qvas Colchica tellus
Mittit aves: grandes capi grandesqve columbi:
Portantur rhombi, sqvillæ, muræna, locustæ,

Mugilis, & piſcis nomen qvi traxit ab auro;
Oſtrea, cœruleo qvæ Cyzicus æqvore gignit:
Multa alia, eſt verſu qvæ claudere difficilis res.
Vina dehinc, nigro nunqvam ceſſura falernō;
Ni potius placeant arviſia nectaris inſtar.
Sed qværo, nunqvid cuncta hæc lupus iſte vorabit?
Non credo: vel ſi cupiat, non poſſe putandum eſt.
Qvod ſi poſſe volet, rumpetur venter, & ibit
Turgidus ad tumulum turba comitante rudentum:
Nam qvi plus æqvo ſtomachi penetralia replet,
Læditur. & clamat, Medici ſuccurrite: demum:
Evomit, & totas putor capit improbus ædes.
Hinc variœ inſurgunt febres, hinc ſcrupeus humor
Inſidias manibus pedibuſqve affigit inertes:
Cui non compertum eſt, multos inducere morbos
Ingluviem? vexare animos & corpora, Bacchi
Humorem im̄odicum, ſitibunda in viſcera merſum?
Ergo parcus erit, de multis pauca capeſcens,
Qvi non ante diem vult dulcem abrumpere vitam:
Nec plus qvàm pauper, ſaccum ſtipabit opimum.
Murice diſtinctos locuples veſtitur amictus,
Auratamqve togam, tenuiqve ſubucula byſſo
Enitet; & Scythicæ redimitus vellere frondis,
Geſtat fœmineo pretioſa monilia collo
Num magis iſta fugant mordentia frigora, qvam ſi
Muniat incultæ vilis te penula lanæ?
Num qvæ vulgari lino contexitur, æſtum
Arcet tela minus, tunc qvum per torva leonis
Signa Molochæi gradiens, calidiſſimus eſt ſol,
Flavaqve væſanus diſcindit Syrius arva:
Qvàm ſi lena tuum velet bombycina corpus?
At dices, ille in pretio eſt qvem pulchra decorant
Veſtimenta: caput venienti inclinat, & omnis

Aſſurgit populus, ſoluſqve hic nobilis, atqve
Creditur eſſe bonus, prudens, ac dignus honere,
Dignus amicitia: pannoſo prorſus habetur
Nulla fides, tritamqve irridet turba lacernam:
Sis licet Arpinas, cujus facundia toti
Præfertur Latio: vel fabri filius ille,
Attica qvem tellus mirata eſt ſæpè loqventem:
Carminibus qvamvis poſſis æqvare Maronem,
Mæoniiqve ſenis divinos reddere cantus:
Non tamen id circo ſperes tibi præmia laudis:
Sperneris, mihi crede, locum projectus ad imum.
Tu Ganymædeos fruſtra ſectabere vultus,
Optabis fruſtra teneram tractare puellam,
Si tectus vili pauper gradieris amictu. (chri
Non eqvidem inficior: magna eſt nam gratia pul-
Veſtitus. Verum fuerit virtutibus ipſa
Si mens nuda, malis imbutaqve moribus, omnis
Ecce perit cultus, fies inglorius, ac te
Deſpiciet qvisqvis norit, tua terga cachinni
Mordaces ferient, vel cacæ jurgia ſannæ.
Nec ſervus, propria qvem tu nutrire farina
Conſueſti à puero, ſi te cognovit avarum,
Crudelem, tumidum, vinoſum, mentis egentem,
Æſtimat: idcirco ſecum clam murmurat in te,
Hunccine herum fortuna mihi non æqva dediſti,
Hunccine herum tolerare diu me fata jubebunt?
Laudabunt alii, qvem turba domeſtica temnit?
At fortis, prudens, juſtus, pariterqve modeſtus
Si fueris, ſi te non parva ſcientia clarum
Reddiderit, qvœvis tribuet tibi veſtis honorem,
Nec (modo ſit ſanus) poterit te ſpernere qvis-
qvam.
In primis, qvicunqve cupis venerabilis eſſe,

Laudari, multum, nec non vehementer amari,
Virtutem ſeqvere, ac vitii contagia vita:
Et cave committas qvod poſſit jure putari
Cenſura dignum, atqve auctori inferre pudorem:
Nam ſolet egregiam ſtolidum contemnere vulgus
Virtutem, minima ſi infectam labe notavit.
Sed qviſnam prorſus vivit ſine crimine? nemo eſt
Qvi non legitimo qvandoqve à calle recedat,
Qvi non à recta interdum declinet amuſſi.
Ille tamen raro ac minimum qvi peccat, haberi
Atqve bonus dici debet, ſed gratia lingvæ
Maxima, qvæ doctè ac prudenter ſingula profert.
Cultus habet ſermo, & ſapiens, mirabile robur:
Imperat affectus varios, animumqve gubernat:
Hæc plus qvàm veſtes, poterunt te reddere clarum.
Nec tu formoſi ſpecie capiaris ephebi:
Talis amor ſcelus eſt, qvem qvi ſapit effugiet: nam
Eſt pueris, nec mens, nec amor, ratiove, fidesve.
Ah pereat qvisqvis puerorum flagrat amore.
Si te delectant formoſæ membra puellæ,
I. pete conjugium: vel non meretricula deerit.
Qvid mavis demens cupere & ſperare negata,
Pellere cum poſſis facili medicamine morbum?
Sunt tamen hoc propter cupiendæ forſitan ipſæ
Divitiæ, ut melius virtutem acqvirere detur,
Qvandoqvidem argento loculi ſi fortè vacabunt,
Nullus erit qvi te doceat; nam ſolvere oportet
Mercedem haud parvam doctoribus; eſt qvoqve habenda
Sumptibus haud parvis librorum copia, tempus,
Qvo valeas ſtudiis incumbere, plura legendo,
Ne mala pauperies alias te volvere curas
Cogat, & impediant ingrata negotia mentem.

Heu

Heu qvam difficile eſt, qvam paucis numina præſtant,
Ex humili volitare gradu virtutis in arcem!
Qvam raro egregios pauper ſortitur honores!
Præterea qvalis vita eſt, qvàm proxima letho,
Qvàm merito ſpernenda, animum ſi nulla voluptas
Mulceat, atqve levent ſolatia nulla laborem.
Cum nunqvam deſint curæ, cum plena dolorum
Omnia ſint, præſtat ſtygiam tranare paludem,
Cerbeream ſaturare famem, miſcerier umbris.
Si nunqvam fas eſt rebus gaudere ſecundis,
Gaudia ſi miſerum pectus non ulla ſerenent.
Aſt inopi qvidnam dulcedinis, aut ſolati
Eſſe poteſt; cui deeſt panis vinumqve freqventer:
Nunc lecto, nunc veſte caret: nunc calceus ipſos
Oſtendit digitos, veteri diſſutus aluta.
Vivere vix potis eſt, nedum ſectarier illa.
Jucundum qvibus eſſe ſolet mortalibus ævum.
Talibus at certè qvicunqve eſt dives, abundat,
Illud enim aſſeqvitur qvicqvid deſiderat, & vult,
Tantum habet imperii, tantasqve pecunia vires,
Ut ſibi nil obſtare diu patiatur: ab alto
Deducit montes, & valles tollit in altum.
Si vult ergo canum pernici prendere curſu
Cervos, aut capreas, vulpes, leporesve fugaces,
Si volucres captare libet, vel fallere piſces
Retibus aut hamis: Veneris ſi grata voluptas,
Si cibus & potus delectant, otia, ludes,
Si choreæ, citharæve placent, ſi plaudere cantu:
Omnia dives habet: nam præſtant omnia nummi,
Accipe qvid contra referam, ſi diſcere qvisqvam
Geſtiet, id certe dabitur, modo firma voluntas
Nunqvam deficiat: nec terreat aſpera clivis

Anguſta, & primo ingreſſu ſatis horrida dumis
Semita, virtutis qva culmina celſa petuntur,
Si non ſunt nummi tibi, veneat ipſa ſupellex,
Vel domus, aut fundus qvid ni? qvo vivere pacto
Tunc potero? cogar mendicus qværere panem:
Ah miſer: eſt melius mendicum vivere, dum te
Cœlicolis ſimilem divina ſcientia reddat,
Qvàm ſi poſſideas Perſarum, bellua, gazas.
Noli judicio tenebroſi accedere vulgi,
Haud magis atqve pecus verum agnoſcentis: at ipſe
Si ſapis, hæc memori qvæ dicam mente teneto,
Præter virtutem, non eſt durabile qvicqvam.
Divitiæ pereunt, ſpecies qvoqve, robur, honores,
Cnncta cadunt: virtus æterna in tempore durat,
Qvam fortuna neqvit, nec tollere longa vetuſtas
Ipſe tamen vidi nunqvam, & vix credere poſſum
Vel periiſſe fame, vel mendicaſſe diſertum:
Qvem ſi fortuna interdum conatur iniqva
Obruere, auxilium virtus feſtinat, alumnos
Protegit alma ſuos ſemper doctrina, diuqve
Non patitur miſeris urgeri caſibus: affert
Naufragio tabulam, qva tuti littora poſſunt
Spumoſos inter fluctus attingere nando,
Qvi pollet virtute, Arabum deſerta, nigroſqve
Æthiopas, rigidoſqve Getas luſtrabit, & Indos,
Tutus & incolumis fortunæ ſola reſiſtit
Virtus, atqve illi dubio certamine pugnat.
Nullis eſt igitur parcendum ſumptibus: omnem
Ne dubita, ut virtutem habeas, impendere cenſum.
At ſi forte tibi, valeas qvod vendere. nil eſt,
Eſto bonus ſaltem, ſi non potes eſſe peritus.
Cum doctis verſare libens (nam diſcere multa
Sic poteris) nec non avidè qvæcunqve loqvuntur

Auſculta, atqve roga interdum : tum cætera divis
Committe, & patiare animo tua fata ſereno.
Gaudia ſi ſeqveris, ſi te inſidioſa voluptas
Implicat, & dulces tranſmittere luſibus annos
Te juvat, atqve ideo dives cupis eſſe, voluta
Sedulus hæc tecum, ratio qvæ provida dictat.
Nulla voluptate eſt res pernicioſior: aufert
Conſilium, mentemqve premit, virtutibus obſtat,
Corrumpit mores, vitiorum maxima nutrix;
Debilitat corpus, ſenſus obtundit : amaro
Fine nocens, homini multorum cauſa malorum eſt,
Clarius iſta ſeqvens ſermo, meliuſqve docebit,
Si tamen advertas, habet & ſua gaudia pauper,
Nec forſan leviora. Magis nam dulcia ſunt qvæ
Rarius eveniunt ſolatia, credite, longè
Gratior ac longè eſt jucundior illa voluptas
Qvæ dilata diu fuit, ardenterqve cupita.
Sic cibus eſurie ſvavis, reqviesqve labore,
Sic potus vexante ſiti, ſic frigore flamma,
Frigora ſic æſtu, ſic intermiſſa diuqve
Suſtentata Venus grata eſt magis : omnia demum
Rebus ab oppoſitis, vires ab contraria ſumunt.
At locuples tolerare nihil vult, ſemper abundat
Deliciis, adeo ut moveant faſtidia ſæpe,
Et cupiat bulbos, ſiliqvas, bolus, allia, ſardas,
Solennes epulas & prandia lauta peroſus.
Nil adeo dulce eſt qvod non videatur amarum,
Et non diſpliceat, ſi plus duraverit æqvo.
Delectant alterna magis, vetitiſqve potiri
Dulcius eſt, ſordent qvæ poſſunt ſemper haberi,
Præterea non res hominem, ſed ſola voluntas,
Judiciumqve animi contentum reddit: amari
Eſt dignum, qvodcunqꝫ placet, qvid proderit ægro

Concinnas offerre dapes, cui febris ademit
Guſtum? qvid vini ſvavem præbere ſaporem
Illi qvi gaudet puris abſtemius undis?
Hic hœdum, aſt alius carnes cœnare ſuillas
Mavult: hunc cantum juvat, illum ludus: amorqve
Omnibus haud idem: hic puerum cupit, ille puellam:
Huic ſcortum placet, aſt illi matrona: beatum
Efficit ergo animus, non res, rationibus iſtis,
Non minus ac dives, lætatur pauper: ab illo
Grandia poſcuntur, parvo hic contentus abibit.
Impenſa dives majore, ac ſæpe minore
Lætitia vivit qvàm pauper, gratius ovo
Et cicere eſt veſci, atq; famem compeſcere porro,
Nautæ aut foſſori, qvam regibus & reginis.
Qvicqvid terra ferat lauti prandere, vel unda.
Dignior illa autem jure eſt dicenda voluptas,
Qvæ nec ſumpta nocet, nec contradicit honeſto.
Nil tamen eſt melius qvàm pauca optare, animumqve
Vincere conſilio: ne ſpes te affligat inanis.
Qvi qvod habere neqvit deſiderat, excruciatur
Sperando fruſtra, & neqvicqvam tempora perdit.
Id cupias igitur qvod certè poſſit haberi.
Aut nihil: atqve animo frenos impone tenaces:
Aſt opibus qvisqvis pollet, vult plura, petitqve
Qvàm licet, & parvo contentus vivere neſcit:
Indiget idcirco multis, felicior illo eſt,
Sufficiunt cui pauca ſatis, res ampla, ſuperbum,
Riſoremq; hominum, contemptoremq; deorum,
Inſanum, mollemqve facit, virtutis & hoſtem.
Nam qvis virtutem curat, ſi cenſus abundat?
O bona paupertas, ô nondum cognita divum
Mu-

Munera, virtutum custos, & amica pudori;
Luxuriæ frœnum, vitæ tutela: procacem
Fortunam tu sola potes, ventiqve furorem
Ac pelagi rabiem contemnere: dum vada lintre
Tuta tenes parvo, vicinaqve littora servas.
Sæpius æthereos feriunt vaga fulmina montes,
Et qvatit excelsas Boreas rapidissimus ornos:
Ima latent ignota malis, humilesqve procella
Juniperos rarò infestat, lentæqve myricæ
Stant inter sylvas immotæ, ac pace fruuntur,
Sprevit Anaxagoras, sprevit Democritus, atqve
Complures alii (qvorum sapientia toti est
Nota orbi) argentum atqve aurum, causasqve malorum
Divitias. qvare? nisi qvòd non vera putarunt
Esse bona hæc, animum qvæ curis impediunt, &
In mala præcipitant qvamplurima. Fabricius qvod,
Qvod Cato, qvod Curtius, sanctissima pectora, qvondam
Senserunt: non qvid vulgus, plebsqꝫ inscia dicat,
Mente agita: atqꝫ tibi propone exempla bonorum.
Nonne olim victor felicia signa Qvirinus
Sæpe tulit, posito qvum sumere consul aratro
Arma jubebatur, reqviem factura ligoni?
Tum casa parva viros & frugi mensa ferebat:
At nunc deliciæ, & laqveata palatia, molles
Imbellesqve edunt fœtus, ac lusibus aptos.
Discite mortales tandem, longisqve tenebris
Exuite obsessam mentem, sursumqve levate
Jam caligantes oculos: qvo cæca voluntas
Vos ducit, ne ferte gradum, ratione deorum
Naturæ similes estis, ratione teneris
Imperium mundi: ratio vos dirigat ergo,

Non error, finemqve animo perpendite rerum,
Sufficiat cibus ille, famem qvi ſedat: & illa
Veſtis qvæ corpus velet, friguſqve repellat.
Sit ſopor ille ſatis, reficit qui feſſa labore
Membra. etenim tribus his opus eſt, cum corpora noſtra
Sint fragili contexta luto, ſed talibus uti
Sic licet, ut tanqvam medicinæ munere cures
Qvos tribuit morbos homini natura noverca,
Aſt hic luxuriem dapibus complectitur, ille
Veſtibus: hanc alius vitam vix ſentit, ab arte
Dum ſugit, aſſiduoqve premit ſua lumina ſomno.
Felix qvi didicit contentus vivere parvo:
Nec ſpem ullam in rebus ponit qvas linqvere cogit
Parca ferox, tanqvam noſtri non juris: & ævi
Qvam breve ſit ſpatiũ reputat, qvam frivola demum
Omnia qvæ in terris longè latèqve creantur:
Qvi minor adverſis non fit, majorve ſecundis,
Minoisqve urnam ſpernit, Stygiosqve furores,
Securus qvodcunqve ferat fortuna, tenere.
Infelix, ſenſu qvi ducitur, atqve futuri
Cæcus, ceu pecudes, tantum præſentia cernit:
Qvi neſcit, qvod qvanto animus præſtantior ipſo eſt
Corpore, tanto animi pluris ſunt munera, qvam qvæ
Ad corpus ſpectant: igitur non divitiæ ſunt
Prima bona. Hæ qvoniam pro corpore conqviruntur
Qvæ poſſeſſorem non efficiunt meliorem,
Qvis bona ſum̃a vocet? multos at ſæpe videmus
Qvadrupedum ſimiles, iſtis qvi rebus abundant,
Qvantum ergo ſatis eſt vitæ, nihil amplius opta:
Namqve ſupervacuo ſtulti lætantur: acervos

Ingentes fruſtra, fruſtra horrea plena reqviris:
Cum modio cumerave famem propellere poſſis.
Cum tibi ſufficiant cyathi, cur dolia qværis?
Si te Plutus amat tamen, & tibi Copia ridet,
Divitiasqve dedit fatorum ignota voluntas:
Qvid facias, operæpretium eſt didiciſſe: tenendo
Ne pejor fias, ne poſſis ſtultus haberi.
Dic age nunc qvæſo, qvænam prudentia, qvodnam
Conſilium eſt illi cui ſunt bona multa: ſed ipſis
Inſipiens neſcit qvo pacto debeat uti?
Hinc vires perſæpe nocent, damnoſaqve forma eſt,
Hac ratione ſuum auctorem facundia perdit,
Hac ratione artes aliæ compluribus obſunt.
Nodus avaritiæ non te conſtringat, ab ipſa
Heu fuge: nam certè nulla eſt hac major Erinnys,
Hanc memorant Acheronte ſatam, per triſtia ditis
Regna truces agitare faces, centumqve colubris
Colla veneniferis geſtare minacia: fauces,
Humano expleri nunquam potuere cruore
Semper hiant, aliosqve tenent, aliosqve reqvirunt
Ora cibos: nulli parcit, nec templa deorum
Dedecorare timet, malum & inſatiabile monſtrum.
Naſcuntur variæ hinc peſtes, diſcordia, cædes,
Proditio, rixæ, fraudes, jactura pudoris,
Contemptus divùm, perjuria, jurgia, bellum,
Atqve aliæ plures qvam dici carmine poſſint
Hanc igitur vita: nil qvippe nocentius, & nil
Qvod magis oſtendat vile atqve ignobile pectus.
Sic mulier, ſenior, pueri inveniuntur avari:
Sunt etenim imbelles; fragiles, animiqve puſilli.
Huic alia eſt vitio labes contraria, ſed non
Tam gravis: hanc etiam ſtudeas depellere: nam ſi
Prodigus es, menſam alterius pingvemqꝫ culinam

Jejunus fruſtra aſpicies, patrimonia poſtqvam
Abſumpta, & nimio fuerint deperdita luxu.
Inter utrumq; manet virtus, extrema relinqve:
Et cui fas qvantùmqve licet, largire: nec ultra
Impenſam facias qvam ſit permiſſa facultas.
Divitias hic finis habet: prodeſſe tenemur
Omnibus, at noſtris potius, natura creavit
Nos, non ut ſolum nobis, noſtrisqve propinqvis,
Aſt aliis etiam, qvum poſſumus, emolumento
Simus: qvid qvæſo præclarius, atqve deorum
Dignius eſt ſolio; auxilium qvam ferre ruenti,
Tradere pauperibus victum, miſerisqve mederi?
Sic nos turba colit, ſic famam acqvirimus: atqve
Ad ſuperos multi per talia facta volarunt.
Naturæ humanæ nil aptius, & nihil ipſo (phorum
Dignius eſt homine, ut perhibet ſchola docta ſo-
Quàm prodeſſe homini, & ſocio ſuccurrere lapſo,
At nunc, ô mores, ô triſtia tempora, prorſus
Extincta eſt pietas: mulli largitur avarus
Dives, cùm teneat qvæ tradere plurima poſſit:
Nulliusqve ipſum miſeret, ſunt ferrea cunctis
Corda. quis exigua mendici nunc ſtipe caſum
Solatur? lacrymas rident, miſeroſqve precantes,
Si qva tamen donant, dant ſcurris, dantq; cynæ-
Dant lenis potius, dant ſcortis callipareis: (dis
Nemo dabit vati, Muſæ ſpernuntur ubiqve.
Calculus huic loculos, vel teſſera reddit inanes,
Ille autem pictis ludit patrimonia chartis.
Nonne hoc turpe magis nummos abſumere pacto,
Unde nec ullus honos, nec gratia qværitur ulla?
Mens oblita Dei, vitiorumqve oblita cœno,
Sicne licet fieri? nonne olim nudus ab alvo?
Exiſti, & nudus terræ es rediturus in alvum?

O demens, non hæc tua ſunt: ſed Jupiter harum
Eſt dominus rerum, tu diſpenſator & hoſpes.
Non res, ſed nobis rerum conceditur uſus
At poſtqvam vetus ille Charon te vexerit ultra
Qvam trepidant ſuperi falſò jurare paludem,
Hic miſer, hîc aliis hæredibus iſta relinqves.
Ergo his utendum eſt rectè, dum ſtamina parcæ
Noſtra trahunt. nobis ſumendo, aliosqve juvando.
Jam patet ex dictis, an ſint bona ſumma putandæ
Divitiæ, mea cymba redi, ſatis ardua ponti
Navimus: ecce auſter pluvias jam cogere nubes
Incipit, ecce undas Typhones in aêra portant
Abſorptas pelago: unde ingens promittitur imber.
Amplius hic tutum non eſt (mihi crede) morari.
Heu metuo fidum malè puppibus Oriona:
Dum licet, in portum tendamus: nubila clarum
Reddiderint ubi pulſa diem, revocabit ab alto
Nos Triton ſcopulo, atq; iterum tentabimus æqvor.

LIBER TERTIUS.

Synopſis LIBRI III.

Quemadmodum libro ſecundo non in divitiis, ſic hoc libro, nec etiam in voluptate ſummum bonum inveniri poſſe docet. Primo enim ſub perſona Epicuri dogma ejus de voluptate & ſummo bono proponitur. Objectionesqve de virtutis vitiorumqve poſt mortem præmio & pæna; ſecundum Epicureorum ſententiam, negando animæ immortalitatem, removentur potius qvam reſolvuntur. Ab Epicuro deinde per viam latam, author in conſpectum palatii pluti,

&

& inde in sylvam amœnissimam inducitur : ubi voluptatem cum Venere & Cupidine ad dextram, Gulâ vero ad sinistram, omniqve luxuriantium Choro ostendit. Ast cum jam non longe à turba illa abesset, Occurrit illi Virtus, qvæ qvam deceptoria sit voluptatis facies, omnesqve ejus fallacias & artes exponit: monetqve ut animæ affectibus immoderatis rationis frenum imponat, Ad voluptatis partes interim transfugerat Epicurus, & Arete ab Iride monita de criminibus hominum, ad auras avolat.

GEMINI.

LUtea qvadrijugo curru surrexerat Eos,
Astraqve cedebant evanescentia cœlo:
Jam divisus erat Titan, mediumqve videbant
Antipodes, medium noster monstrabat horizon,
Mirabar qvisnam mediis de fluctibus ignis
Exit inextinctus? certè hæc contraria sese
Mutuò corrumpunt: qvin sol extinguitur undis?
Igneus aut igitur non est, aut tingier ipsum
Oceano vulgus mentiur: talia mecum
Volvebam, gradior dum prope littora solus,
Obvius ecce senex qvidam mihi venit, acerno
Innixus baculo, nitidóqve indutus amictu,
Cana tenus medio pendebat pectore barba,
Pulchra cutis, læta & facies, varioqve colore
Florea candentes decorabant serta capillos,
Comminus ut dedimus citroqve ultroqve salutem:
Qvò pergam, qvi sim, qvo dicar nomine, qværit,
Respondi, atqve eadem pudibunda voce rogavi.
At postqvam proprium nomen mihi reddidit (ipse
Namqꝫ Epicurus erat) stupui: ceu rusticus agrum

Qvi fodiens, reperit latitantem obſcurius arcam,
Atq; ego tunc, Venerande ſenex, ſic numina ſemper
Cuncta tuis faveant votis, ſapientia qvando
Mira tuis habitat fibris, niſi falſa loqvuntur
(Ut plerumqve ſolent) homines, præcepta ſalutis
Da precor, & juvenem prudentibus inſtrue dictis,
Dummodo non te aliò groviora negotia ducant.
Ille autem contra, Me nulla negotia ducunt,
Sed qvoniam vito curas, fugioqve laborem,
Huc ſoleo vacuus crebro adventare, legoqve
Per prata hæc varios capiti geſtamina flores.
Unde libens & promptus agam qvodcunq; petiſti.
Qvippe loqvi ſenibus res eſt graviſſima cunctis.
At ne noſtra aliqvis diſturbet verba viator,
Hinc divertamus, denſaqve ſub ilicis umbra,
Juxta illas qvas cernis aqvas, reſidebimus ambo.
Ivimus, & placida ſic tandem voce profatur,
Nimirum huc aliqvod juvenis te numen adegit,
Ut diſcas hodie qvæ ſit Sapientia. namqve,
O ſuperi, qvanta rerum caligine totum
Immerſum eſt mortale genus? ſimulacra videre
Mille ac mille hominum facile eſt, ſed rarus ubiqve
Verus homo: ut posſit non falſo nomine dici,
Mundus ſtultorum cavea, errorumqve taberna.
Qvare adhibe puram noſtris ſermonibus aurem
Pellere ſi qværis miſeras à mente tenebras.
Principio, verum atqve bonum cognoſere oportet,
Perſpicua ratione qvidem, atqve examine recto:
Hinc ſcatet, hinc magnos ducit ſapientia rivos.
At paucis hoc ſcire datum eſt, nam maxima turba
Divitias ſum̄um eſſe bonum, pars altera honores
Diverſi diverſa putant: mihi ſola Voluptas
Optima cúnctarum rerum cenſetur: & iſtud

(Ni fallor) vera poterit ratione probari.
Omnium enim eſt finis rerum, atq; noviſſima meta
Ad qvam ſic hominum facta omnia diſponuntur,
Spicula ut in certum ſignum mittuntur ab arcu.
Nam qvis tellurem raſtris, qvis Nerea tonſis,
Aut qvis Gradivum validis tentaverit armis?
Deniqve virtutem qviſnam qvæſiverit ullam
Si non hunc præſens movet, aut ſperata voluptas?
Nempe hæc principiũ, medium, finiſq; laborum eſt.
Qvod magis ut pateat, qvæ dicam attentius audi?
Omne opus ob finem, ratio niſi deſit agenti,
Sumitur: hic ſpecie prior eſt in mente, movetqve
Artificem, ſed re poſt facta noviſſimus exit.
Finis item bonus eſt, igitur placet: atqve voluntas
Hunc ſibi ut acqvirat, primis mediiſq; libenter
Partibus incumbit, ſic delectatur, amœnus
Sic labor efficitur: cauſa eſt ergo ipſa voluptas.
Qvippe aliud non eſt qvàm delectatio qvædam.
Sed qvia non facile eſt, rudibus ratione doceri,
Tentabo exemplis melius recludere verum.
Cur fodit, atqve gravi ſulcum deducit aratro
Agricolæ colloſa manus? non Sirius æſtu
Terrificat, non bruma gelu: cur navita ponti
Inſanam rabiem, ſyrtes, ſcopuloſqve minaes
Non timet, admoti ſpernens confinia lethi
Velivola fretus pinu? cur prælia miles
Inſeqvitur, gaudetqve ferox, ubi claſſica Martem
Sæva canunt, acuitq; animos hinnitus eqvorum?
Cur juvat aſſiduis alium palleſcere chartis,
Et varios verſare libros noctesqve diesqve?
Nempe ut poſt longos lucrum vel fama labores
Jucundum efficiat, nam ſi non ipſa placeret
Uti-

Utilitas & honos, virtus artesqve perirent,
Est finis per se dulcis: primordia verò
Cum mediis propter finem, nil deniqve refert,
Turpia, vel potius cuncta hæc videantur honesta,
Nam veluti exultat lascivus turpibus, ipsa
Sic virtute bonus placidissima gaudia sentit.
Ergò voluptatem propter tandem omnia fiunt,
Vel mala declinent homines, vel comoda qværant:
Vel laudanda gerant, vel non laudanda seqvantur,
Hæc etiam sola superi mercede fruuntur:
Utile namqve illis non convenit, indigeant cùm
Nullarum rerum. sed dices forsan; honestis
Numina plena bonis: qvid tum? si talia lætos
Non faciunt divos? tanqvam si lignea gemmis
Nobilibus, fulvoqve ornes simulacra metallo.
Adde aliud, qvoties perfecta est causa, necesse est
Inde parem effectum procedere: vis igitur qvum
Qvæqꝫ animæ benè disposita est, atqꝫ optima servat
Objecta, esse bonum summum nemo hercle negabit
Qvi sapiat: verùm tali de fonte voluptas
Cogitur effluere. auditus sic lætificatur
Harmonia numeris contexta dulciter aptis:
Sic forma egregia, visus: sic nasus, odore
Mirifico: hoc ipsum reliqvis de partibus ajo,
Qvid, qvòd cuncta Venus terris animalia gignit:
Atqve eadem (nisi vera neges) est summa voluptas?
Præterea, lador atqve dolor mala maxima cum sint,
Atqve voluptati contraria: jure voluptas
Esse bonum summum censebitur, oppositorum
Opposita est etenim ratio. Proinde omnia qværunt,
Naturæ instinctu, qvæ sunt jucunda: caventqve
Tristia. Qvis verò naturam fallere credat?

Et ſummum ergo bonum, qvod amant animalia qvæqve
Sed qvid amant, vel qvid niſi dulcia gaudia qværũt?
Multi autem dicunt: virtutem acqvirere oportet,
Sudando, algendo, dum vivimus: atq; voluptas
Eſt fugienda. Frui tamen hac poſt fata licebit:
Gaudia qvippe Deus juſtis æterna paravit.
Nil rationis habet vox hæc, prorſusqve videtur
Irrita. namqve animas poſt funera vivere, perqve
Tartareos volitare lacus, & pendere dignas
Pro meritis pœnas, vel ſumere præmia facti,
Credere qvis debet, niſi cui mens integra non eſt?
Hæc ſunt, ô miſeri, vatum commenta furentum,
Mos qvibus eſt ſemper varias effingere nugas,
Ut ſtolidas dictis delectent talibus aures
Finxerunt Stygii pallentia regna tyranni,
In qvibus eſt Phlegethon, flam̄is crepitantibus ardens.
Tergeminus canis, & pictis armata colubris
Tiſiphone, extenſi per jugera longa Gigantes,
Et ſine luce umbræ, & vaſti non ulla cremantes
Ligna foci: riget hic hyemis ſine tempore frigus,
Roboreqve ex nullo gemit hic compacta phaſelus,
Dum ſenior nimias transvectat portitor umbras
Æolides ſaxo cruciantur, Tantalus unda:
Vaſa maritinecæ geſtant rimoſa ſorores,
E qvibus unda fluit, vano repetenda labore.
Plura etiam, qvæ nec pueris credenda videntur,
Talibus in regnis cecinerunt eſſe poëtæ.
O dii, qvam magna eſt penuria mentis ubiqve,
In nugas qvàm prona via eſt. qvid creditis iſta
Inſani? qvæ nec poſſunt ratione probari
Ulla, nec ſenſu agnoſci? qvid vana timetis?
Qvi facilis credit, facilis qvoqve fallitur idem,

Lu-

Lucra ſacerdotum ſunt hæc, arteſqve doloſæ.
Aſt ubi vita ſemel tenues defecit in auras,
Nil ſumus, ut nondum geniti nil prorſus eramus.
O nimium infirma & fragilis, nimiumqve ſuperba
Atqve audax natura hominum, qvo freta perennem
Stulta tibi vitam promittis? deſine velle,
Cum ſis vile lutum, ætatem ſperare deorum.
Qvælibet orta cadunt, & finem cœpta videbunt.
Ingentes urbes populoſqve, ingentia regna,
Supremos montes, & maxima flumina tandem
Aufert longa dies: at tu viliſſime pulvis
Semper eris? tanta eſt modicæ fiducia mentis?
Nempe laboramus fruſtra, virtutis amore,
Somnia ſperando, & vanas fingendo Chimæras,
Stulti ſunt qvi pro certis incerta ſeqvuntur:
Et qvi pro dubiis, qvæ ſunt manifeſta relinqvunt.
Dulcia ſed remanent longævæ prœmia famæ.
Hoc certè nil eſt, cùm tu poſt funera nil ſis.
Fama qvid eſt, ſi nil delectat fama ſepultos?
Qvid lapis, aut ſtipes, laudum præconia curant?
Si non lætaris vivens, lætabere nunqvam.
Proinde ætas donec brevis hæc incertaqve durat,
Gaudebit qvicunqve ſapit pro viribus: & non
Frangetur qvoties fortunæ urgebitur ira,
Dulce autem qværet, ſi qvid continget amari;
Ergo ne longis teneam te ambagibus ultra,
O juvenis, dum fata ſinunt te vivere lætum
Hortamur, qvantumqve potes lugubria pelle.
Talia barbati poſtqvam mihi verba magiſtri
Haud parvam fecere fidem: pater optime, dixi,
Pro tantis neqveo dignas tibi reddere grates
Officiis: verum donec ſpirare licebit,

Debeo, ac memori servabo hæc pectore dicta,
Scrupulus ast unus restat. nam discere oportet
Non solum qvid agas, sed qva via detur agendis.
Ergo voluptatem doceas qvo acqvirere pacto
Possim, qva sit iter per qvod tendatur ad illam.
Tum senior, Brevis, & lata, & declivis eunti
Est via, non procul hinc habitat regina Voluptas,
Qvæ si fortè tibi cordi est, vestigia nostra
Jam seqvere, hac per me poteris gaudere reperta,
Portio siderei nondum transmiserat orbis
De tribus una diem, nisu qvum surgit anhelo
Grandævus sapiens: qvo præcedente seqvebar
Ponè simul, gradiens per devia comminus ibam,
Progressisqve parum, moles oblata palati
Eximia est, scitorqve ducem: Sublimis, & auro
Tam preciosa domus, qvo possessore tenetur?
Plutus, ait, tenet hanc, indutusqve arma satelles
Servat iter, prohibetqve ultra transsire volentes,
Ni prius hunc adeant & blando munere placent,
Ipse autem celsa residet, qvam cernis, in arce.
Tres tantùm natæ thalamo versantur eodem,
Qvarum si qværis cognoscere nomina dicam:
Sordia Luxuries, tumidisqve Superbia buccis,
Nec non audaci stolida Ignorantia vulti.
Tunc ego, Qvis, dixi, dominum nos ducet ad istum?
Tres illi ancillæ sunt, per qvas ire licebit,
Respondit senior, Sors, Fraus, Usura: patebit
Cuilibet ingressus facilis, ducentibus istis.
Dona mihi non sunt, inqvam, qvæ tradere possim:
Nec tutum ancillis confidere talibus: ergo
Monstra alium mihi qvæso viam. tunc reddidit ille:
Est alia, est, Per qvam, si vis, transibimus. Eja

Duc

Duc, inqvam, & pariter digreſſi, tendimus imam
In vallem, præbebat iter qva ſemita nobis
Scrupea, & incultis homini vix pervia dumis.
Hic paupertatis pergendo offendimus ædes
Exiguas, lacero pendentes culmine præter
Ivimus, & vaſtum nemus è regione videmus.
Hæc, qvam proceris ferientem ſidera cernis
Arboribus, ſylva, eſt (inqvit dux) inclyta ſedes
Reginæ, per qvam nobis licet eſſe beatis.
Sed facie & manibus lotis accedere oportet;
Qvaqve potes, totum te orna, vultumqve ſerena.
Nam dea nec ſordes, nec vult admittere curas,
Parvus erat veniens per levia ſaxa deorſum
Rivulus, & blando ſuadebat murmure ſomnos:
Hic faciem lavi, atqve manus, rigidosqve capillos
Pectine compoſui, totoqve in corpore veſtes
Aptavi, atqve leves pepulerunt ſeria ludi.
Sic hilaris gradior. Jam qvantum funda rerorto
Verbere ferre poteſt, jactu non amplius uno,
Emiſſum lapidem, diſtabat ſylva: canentum
Suave melos volucrum, ſuaves ſentimus odores,
Qvorum illic magna apparebat copia florum.
Tale nemus non mollis Arabs, Panchaia qvamvis
Thura ferat paſſim, vidit: non Indus Eous,
Non Scytha laurifero ſpectabilis undiqve ramo,
Non demum cœli qvi pondera ſuſtinet Atlas:
Illa licet Satyiri teneant loca, qvos Nympharum
Urit amor Dryadum, & choreas per gramina ducant.
Dulcibus & nitidis undis, curſuqve ſilenti
Ibat circum amnis: qvantum tranſcendere ſaltu
Poſſet, venantum fugiens convicia cervus.
Tantum diſtabant ripæ, ſed plurima claro
Ultima cingebant ſylvæ qvaſi mœnia, pulchro

Ordine diſpoſitæ, & ſuperantes nubila pinus:
Pinus qvæ duro clauſerunt cortice qvondam
Dilectum Cybelæ juvenem. Phœbea cupreſſus
Juxta aderat, paribusqve comis ſurgebat in altum:
Non illic deerat qvercus, non eſculus, ilex,
Robur, acer, platanus, ſuber, nux, arbutus, alnus,
Orni, caſtaneæ, coryli, piceæ, tileæqve,
Palma, abies, myrtus; veterumqve obſonia fagus,
Aurea Saturno fluerent qvum ſecula rege:
Non vitis, ficus, malusqve, & amica Priapo
Lothos: non hederæ, & vatum geſtamina lauri,
Morus, & Alcidæ gratiſſima populus arbor:
Non pirus, atqve ſalix, prunusqve & pallida buxus,
Meſpilus, atq; olea, & ceraſus, non ſorbus & ulmus
Et ſiliqva, & primos qvæ monſtrat amygdala flores.
Qvid memorem cedrum, atqve hebenum, menſisqve petitam
Materiam circum, cui cedere creditur aurum?
Qvidve alias plures? qvarum ſi nomina tentes
Dicere, Marmaricas citius numerabis arenas.
Ingredimur, qva pons ripam jungebat utramqve:
Intus erant ſpatiis amplis, viſuqve decoris,
Huc illuc longo tendentia compita tractu,
Purpureæ niveæqve roſæ, pictiqve hyacinthi,
Narciſſi & violæ, & vaccinia miſta liguſtris,
Liliaqve, & longum vivens amaranthus in ævum,
Puniceis foliis, nec non caryophilus albis;
Balſamaq;, & caſiæ, & coſti, myrrhæq;, crociqve.
Mentha, thymum, thymbra, & bene olentis amaracus horti
Deliciæ, Idaliis oritur qvæ plurima ſylvis,
Hinc atqve hinc ſuaves ſpirabant undiqve odores:
Mille avium ſpecies implebant murmure ſylvam,
Et

Et liqvidum vario fetiebant æthera cantu.
Conjugis infandum Progne deflebat amorem,
Fortunamqve ſuam atqve Ityli Philomela gemebat.
Pſittacus humanas operoſo gutture voces
Reddebat, tenuesqve ſonos variabat Acanthis.
Jugis aqvæ rivi nitidis de fontibus, inter
Manabant flores, & gramina læta rigabant.
Non Maſſyla illic degebat bellua, nec vox
Sacrilegi eſt illic audita Lycaonis unqvam,
Non aper, aut urſus, non velociſſima tigris
Prorſus erant, trifidis nec triſtia ſibila linguis
Talia ſpargebant tumidi per rura ceraſtæ.
Deniqve non illic niſi blanda & amantia pacis,
Auriti lepores, cervi, capræqve, damæqve,
Et qvanqvam ver ſemper erat, dulciſſima ibidem
Poma tamen deerant (dictu mirabile) nunqvam.
Pæne polum medium lampas Phœbea tenebat,
Qvum locus eſt viſus nobis, ubi diva manebat.
Campus erat nemore in medio ſpatioſus, & herbis
Plenus odoriferis: nulla illic creverat arbos.
Circum aderant menſæ egregiæ, dapibusqꝫ refertæ,
Qvalibus accubuit Capuæ Dux luſcus, & ipſi
Accubuere olim qvi Ancylia ſacra gerebant.
Tunc ſenior, jam tempus adeſt, potemus, & eſca
Inſtauremus (ait) vires. nam ſobrius ire
Ad divam, vel jejunus prohibetur: & omnes
Huc qvotqvot veniunt, impune abſumere poſſunt,
Gratisqve has epulas: dea ſic vult. Cumqve comeſæ
Deficiunt, famulæ reparant, renovantqve ſapores.
Veſcimur, atqve mero madidi vix ſurgimus. & pes
Figebat dubios titubanti poplite greſſus,
Tum magis optamus reginam accedere ad ipſam:
Qvam, medio in campo ſpatiantem, maxima turba

Ponè seqvebantur, juvenes, pueri, atqve puellæ,
Maturiqve senes, at non matura gerentes.
Illius ad dextram mulier pulcherrima, secum
Ibat, habens puerum; cujus pendebat ab armo
Feralis pharetra, & diris metuenda sagittis:
Cæcus erat, nudusqve & versicoloribus alis:
Arcum gestabat manibus nervumqve trahebat:
Qvamqvam oculis captus, certis tamen ictibus omnes
Figebat puer ille ferox præcordia pulsans,
Atqve iterum facto remeabat vulnere telum.
Jamqꝫ illum penitus populum misisset ad umbras,
Fœmina ni qvædam tales miserata ruinas,
Auxilium miseris mira pietate tulisset.
Namqve ubi cujusqvam per saucia pectora ferrum
Viderat intrasse, & tepidum emanare cruorem,
Accurrens, pariterqve salubria pocula præbens,
Servabat vitam: sed vulnera dira manebant.
Reginæ ad lævam, mulier stans altera habebat
Semper in ore cibos: manibusqꝫ & vestibus unctis
Sordida curabat solius gaudia ventris,
Grandiaqve inverso siccabat pocula fundo.
Hærebat puer huic alter, qvi vertice nutans,
Connivensqve oculis, vigilare nec ipse valebat:
Nec vigilare ipsam, dapibus vinoqve gravatam
Nescio qvo sæpe aspergens humore sinebat.
Rauca Cytoriaco resonabat tibia buxo
Illic; ast alii citharas & plectra movebant.
Orpheus Eurydicem serpentis dente peremptam,
Immitesqve Erebi leges, cassumqve laborem
Deflebat, secumqve feras & saxa trahebat.
Carmina delphinis miranda canebat Arion,
Navigium infelix referens, nautasqve dolosos.

Oedi-

Oedipodionias iterum conſurgere Thebas,
Nobilis Amphion cantu fidibusqve jubebat.
Turba ſeqvebatur ſaltando cætera, cujus
Lumina caligo qvædam ſatis atra premebat,
Et cujusqve caput nebulæ circumvolitabant:
Inter qvos unum vidi, noviqve, tabellam
Qvippe manu ſcriptam per talia verba tenebat,
Sardanapalus ego, Aſſyrio diademate qvondam
Inclytus, hæc habeo qvæcunqve famelicus edi,
Et qvæcunqve hauſi ſuadente libidine: donec
Vivitis ô miſeri, qvid gaudia poſtergatis?
Heu mihi, poſt mortem nulla eſt ſperanda voluptas
Diſcite ab exemplo, mortales, diſcite noſtro.
Poſt omnes, extrema acie duo monſtra ſubibant:
Qvorum unum variis linguis fœdabat euntes,
Aſt aliud ſemper ſtimulis vexabat acutis.
Qva propter dulces luſus turbabat amaror.
Uſqve adeo votis nobis æterni regia cœli
Invidet, atqve malis hominum gaudere videtur:
Uſqve adeo contraria numina noſtris
Cumqve tot adverſis ævo fugiente premamur,
Lætitiæ vix hora datur, vix hora qvietis.
Et ſi qva eſt, brevis eſt, & non ſincera voluptas.
O vita, exilium merito dicenda, qvid ipſos
Damna juvant adeo ſuperos mortalia? qvare
Malunt nos triſtes potius, qvam vivere lætos?
Unde in nos odii tanti manavit origo?
Vince deos, animo patienti adverſa ferendo.
Haud multo ſpatio jam turba aberamus ab illa,
Qvum ſubito â dextra nemoris, matrona venuſto
Corpore, vigineo vultu, inceſſuqve ſevero,
(Qvalis in æthærea Jovis uxor creditur aula,
Qvum medios inter graditur pulcherrima divos)

Occurrit nobis crines lacerata ſinusqve:
Et mœſta & vili qvamvis circumdata panno,
Non ſpernenda tamen: roſeoqve hæc edidit ore:
Qvo ruitis miſeri? qvo vos inſania ducit?
Siſtite, nec faciles in damum currite veſtrum:
Et qvæcunqve loqvar vobis, audite parumper.
Siſtimus, atqve ejus dictis intendimus aures.
Principio, non eſt, ut forſan creditis (inqvit)
Hæc dea: nec prorſus divum de ſanguine creta,
Ad qvam nunc itis, cujus vos jungere caſtris
O cœci cupitis, ſed dira & peſſima Erinnys,
Incautos blanda ſemper ſub imagine ludens,
Promittensqve favos, aloen infida miniſtrat.
Nec vos decipiat, facies qvod pulchra, qvod extra
Tota nitet gemmis atqve auro: namqꝫ ſub ipſa
Neſcitis qvam ſit turpis, qvàm ſordida veſte.
Intus mille latent mendæ, perditqve clientes
Ipſa ſuos, ſalſa captos dulcedine: ſicut
Perduntur piſces, qvos fallit harundine longa
Piſcator, dum littoreas demittit in undas
Fila ſedens ſcopulo, atqꝫ hamos tenet eſca latentes.
Illi concurrunt avidi, rapiuntqve tenaces
Ore cibos, ſed mox hærent, ac fila ſeqvuntur.
Non tantum Libycæ Syrtes vel tecta nefandi
Antiphatæ, vel Scylla vorax, vel ſæva Charybdis,
Vel qvodcunqve aliud, qvantum eſt fugienda
Voluptas.
Eheu, qvas infert mortalibus iſta ruinas (bes,
Qvot claros alioqvi homines, qvot regna, qvod ur-
Perdidit hæc? ſed ne multis vos ipſa fatigem
Exemplis, unum ſat erit, notumqve referre,
Qvis fuit Alcida major? qvit tanta peregit?
Nam geminos infans ſuffoca viſſe chelydros

Dicitur exiguis elidens guttura palmis,
Ipse Molorchæum fertur superasse leonem:
Extinxisse caput semper crescentis echidnæ:
Hic domuit cervam æripedem, taurumqve ferocem
Expulit, & valido volucres Symphalidas arcus:
Fregit Threicii præsepia dira tyranni
Fregit & hic Acheloë tibi de cornibus unum:
Hesperidas pomis, bobus spoliavit Iberum:
Infernas adiit sedes, triplicemqve retraxit
Inde canem, spumis insana aconita ferentem:
Ejusdemqve manu Erymanthius occubuit sus:
Sensit & Antæus, sublatus in aëra, vires
Herculeas: raptorqve boum Vulcania proles,
Hic demum fesso potuit succurrere Atlanti,
Grandibus astra tenens humeris, axemq; labantem,
Artamen (ô fallax, ô perniciosa Voluptas)
Imperiosa tulit Gygeæ jussa puellæ.
Et qvi non timuit torvam cum Dite Megæram,
Tartareumqve gelu, & flammas Phlegethontis,
& ipsum
Porthmea, terrifico aspectu, hirsutisqve capillis,
Sæpe minas teneræ demens expavit amicæ,
Pro clypeoqve colum gessit, pro casside mitram.
Qvæq; prius clavam ingentem vibrare solebat.
Fœmineo ritu torqvebat dextera fusum,
Et calathis dominæ referebat pensa peracta,
Dum metuit scuticam, muliebri indutus amictu.
Amphitryoniade, qvis te furor obcæcavit?
Utqve Ithaci socios mutasse venefica Circe
In porcos fertur, texisseqve corpora setis,
Non secus ista suos mutat regina clientes
(Si debet regina magis qvàm serva vocari)
Namq; manu pateram, qvæ dulci plena veneno est,

Por-

Porrigit his, de qva si qvis bibit, illicò fiet
Vel leo, vel spumosus aper, vel tardigradus bos,
Aut canis, aut pavido pestis lupus improba ovili.
Ast alias alii coguntur inire figuras,
Pauci ex hoc populo lethalia pocula vitant.
Vos eadem qvoqve fata manent, si fortè velitis
Istius vexilla seqvi meretricis iniqvæ.
Qvare vos moneo, crudelia retia cauti
Dum licet aufugite, atqve animum frænate lupatis
Præcipitem: occultus laqveos, advertite, ne vos
Haud aliter fallat, qvàm fallit aranea muscam;
Dum tenuem texit telam, latitatqve deorsum
Angusto in thalamo, sed si cognoverit hostem
Delapsum in casses, qvamprimum accurrit, & arctis
Stridentem involvit laqveis, & stamina circum
Cruribus assiduis glomerat, rostroqve peremptum
Perforat, & sugit fusum per membra cruorem.
Demens, heu nimium demens, qvi cum similis diis
Esse qveat ratione utens, vestigia mavult
Sectari pecudum, Veneri, Venerisqve sodali
Ventri indulgendo, & turpissima qvæq; seqven-
Talia non potuit patienter ferre meus dux: (do,
Namq; pudore gemens, stomachoq; iratus amaro
Nescio qvid secum secreto murmure rodens
Terga dedit, notumqve tripes properavit in agmen
Tunc Arete: (hoc etenim nomen sibi dixerat esse)
Ne cures, inqvit: fugiat, sine, noctua phœbi
Non patitur radios, gelidis assueta tenebris,
Utqve æger longa vexatus febre, recusat
Optima, qvæ amissam valeant sibi ferre salutem,
Deteriora petens propriæ contraria vitæ:
Sic stulti verum fugiunt, & falsa seqvuntur,
At tu, si qva tui cura est tibi, ne retrahas te

A noſtris monitis, qvæ ut promptius accipias, hinc
Mecum digredere, hæc etenim ſpectacula mentem
Perturpant, ſtrepitusqve attentas impedit aures,
Tum me dextrorſum duxit, pariterqve ſub umbra
Semotæ lauri concedimus, atqve ita ſatur:
Ille opifex cœli & terræ, pelagiqve tumentis,
Ut reliqvos primo adverſos ire impulit orbes,
Sic adverſari affectus voluit rationi
Complures, ne ſola ſua torpeſceret aula
Mens, namq; ut ſonipes calcaribus, & ſtimulo bos
Urgentur, ſumuntqve magis per vulnera vires:
Sic mentem affectus acuunt, creſcitqve premendo.
Qvi ſi non eſſent, prorſus tabeſceret, & nil
Egregium faceret: ceu navis in æqvore torpet,
Ni remi impellant, vel habentes carbaſa venti.
Proinde errant qvidam, dicentes, qvod ſapienti
Haud unqvam licet hos animi ſentire tumultus.
Hi differe hominem ſignato a marmore nolunt,
Et delirantes prorſus verba irrita fundunt.
Nam tales homini motuis natura dediſſet
Fruſtra: qvod dictu abſurdúm eſt. uti ergo licebit
Ipſis legitimè, norma rationis & arte,
Hos, inqvam, motus validis moderatur habenis,
Et regit, ut præclarus eqves, nec vincitur illis
Is, cuicunqve dedit verum ſapientia nomen.
Sed pauci norunt medium reperire, modumqve
Servare: idcirco tollunt hi prorſus, at illi
Prorſus amant: unde hos error conturbat & illos,
Nam divi ſola vivunt ratione. ſed ipſæ
Duntaxat ſenſu pecudes ornantur: utroqve
Mortales, utroqve igitur gaudere jubentur:
At ratione magis: namqve hæc præſtantior eſt pars,
Et ſummi cognata poli, qvæ ducit in altum

Sem-

Semper, at in præceps ſenſus trahit, & deliros
Efficit: idcirco minus huic ſervire licebit:
Qvamvis hunc (ô cæca hominum natura) ſeqvantur
Pæne omnes, pauciqve adeo ratione regantur.
Propterea innumeros media modo ludere ſylva
Vidimus: atqve illuc ſtulto ductore meabas,
Noſtra retraxiſſet niſi te vox. Nonne timebas
Illa duo, à tergo qvæ furtim monſtra ſubibant?
Noſtin qvæ ſint hæc? Dolor atqvæ Infamia. Qvare
Non interdico prorſus, nec talia prorſus
Gaudia concedo à ſolo manantia ſenſu:
Sed ſint rara, ulli non adverſantia recto:
Propter qvæ nunqvam fas eſt dimittere honeſtum,
Atqvi opus eſt frænis: & clam ſumenda, nocebunt
Sumpta palam. qvoniã livor non deerit iniqvus,
Dulcibus & lætis qvi fel confundat amarum.
Qvoqve minus ſeſe qvisqvam his involvit, eo fit
Dignior, ac propius ſuperos accedit ad ipſos:
Qvi magis hæc ſeqvitur, minus eſt laudabilis, & ſe
Deprimit, & mutis animalibus inſerit, obſunt
Hæc eadem, ſi ſint uſu repetita freqventi,
Eo mentem impediunt, & dira pericula gignunt.
Non ſemper tamen eſſe poteſt intenta ſeveris
Mens, qvippe eſt homini fragilis natura, neceſſe eſt
Seria poſt aliqvam tandem captare qvietem, &
Montibus à ſummis valles deſcendere ad imas:
Haud aliter qvam qvum dimittere fulmina terris
Vult pater omnipotens, exoſus crimina mundi.
Fert aqvila exactum Sicula fornace triſulcum
Aut roſtro aut pedibus telum, poſtqvam alta polorum
Culmina conſcendit, miratur clara pyropis
Mœnia cœlicolum, atqve aliis ſplendentia, gemmis,
Et ſtupet auratas ædes, ſtellisqve micantes,

Aſpicit & ſolido factas adamante columnas,
Et conſtructa videt laqvearia dentibus Indis.
Miratur latos campos, lucemqve perennem,
Deliciasqve deum, qvales nec lingva referre
Ulla nec humanum pectus comprendere poſſet,
Illa volans nunc huc, nunc illuc, ludere geſtit
Æthera per liqvidum, & blandis ſe ſe objicit auris.
Et Iam dediſcit terras, nidoſqve relictos,
Uſqve adeo jucunda illi ſunt regna tonantis,
Sed poſtqvam ſtimulante fame, jejuna vires
Hauſerunt, & nulla inſunt alimenta calori,
Qvæ modo laudabat, contemnit ſidera, ab alto
Devehitur, & qvas nuper contempſerat, omni
Conaturepetit terras, eſcamqve reqvirit,
Tunc ego qvi preſſa jamdudum voce tacebam,
Rumpere feſtinans tam longa ſilentia, tandem,
Hiſcere non timui, atqve interpellare loqventem,
Et dixi, Qvoniam ſol jam declinat ad axem
Heſperium, properatqve diem demergere ponto,
Ante precor qvàm lux penitus decedat, & umbræ
Adveniant, mihi ne paucis aperire recuſes,
O dea (nam certè dea, non matrona videris)
Nomine qvo mulier qvam dextra, qvamqꝫ ſiniſtra
Reginæ, ſtantem vidi, pueriqve vocentur
Ipſarum: dictis reſpondit talibus: Eja,
Ne dubita, per me (brevitas niſi temporis obſtet)
Qvæ cupis agnoſces, nam non indigna petiſti,
Incipiamqve ab ea, lateri qvæ proxima lævo eſt.
Hanc igitur ſcito eſſe Gulam, cui ſemper edendi
Eſt animus, nocte, atqve die, ſtudiumqve bibendi,
Qvam pleriqve deam credunt, & prorſus adorant,
Libantes læti pateris ardentia vina,
Lautaqve veſcentes plenis obſonia menſis,

Et ſummum eſſe bonum, ſervire huic, rentur, at errant
Haud dubie, namqve hac nil eſt obſcœnius, & nil
Qvod naturæ hominis magis adverſetur, & obſit.
Cœtera enim tantum ut vivant animalia, fecit
Jupiter, aſt hominem, ut vivendo intelligat, & ſe
Cognitione aliis præſtando, cœlicolarum
Efficiat ſimilem, & vaſto dominetur in orbe.
At qvicunqve Gulæ indulgent, & gaudia ventris
Sectantur, fiunt hebetes, fumoqve ciborum
(Haud ſecus ac nebula ſol) offuſcatur eorum
Ingenium, & neqveunt veri ſpectare nitorem.
Præcipuè qvoties ſtomacho ferventia vina
Obtundunt, cæcaqve premunt caligine mentem;
Nec ſtudiis ſaturo poſſunt incumbere ventre.
Unde fit ut minimum ſapiant, finemq; relinqvant,
Propter qvem terris illos natura locavit:
Nec plus cognoſcant, qvam grex oviumve, boumve;
Imo etiam qvandoq; minus, qvum vina cerebrum
Confundunt, geminasq; putant ardere lucernas
Et menſa & paries ſeſe motare videntur.
O fœde ebrietas, animi lethum: ô vitorum
Nutrix ac ſcelerum: qvid non mortalia cogis
Pectora? qvid per te non audent? jurgia, lites
Prælia dira moves, & gaudes ſanguine fuſo:
Per te occulta patent, animum linguamqve reſolvis:
Te fugiunt metus atqve pudor. Vitate pudendam
Hanc peſtem, ô miſeri, qvæ vos facit eſſe furentes:
Nec minus inſanos reddit, qvàm mater Oreſtem.
Sordidor qvæ res, qvæ bellua vilior eſt qvàm
Ebrius? hic epulas, qvas non multo ante voravit,
Evomit, atqve mero putet: tremit ille, caditqve
Sæpe caput frangens, oculosve, aut crura: loqvendo

Bal-

Balbutit, nec habent ullum verba edita ſenſum.
Multa facit, multa & dicit, qvæ mox ubi nubes
Diſcuſſa eſt, rediitqve jubar, damnantur ab ipſo
Auctore: unde rubet factis, inſectaqve vellet.
Rex Macedum qvondam, proles generoſa Philippi
Ebrius in menſa (ut fama eſt) perdebat amicos:
Sed poſtqvam furor ille animo deceſſerat, & jam
Sanus erat, tunc ſe arguebat, tantumqve dolebat,
Ut fleret, cuperetqve mori: qvid vana Cytheron
Orgia, qvid thyrſos, deliraqve tympana jactas?
Non deus eſt Bacchus veſter, Cadmæa propago,
Nec Jove plena utero Semele concepit: at ingens
Tartarus hunc genuit puerum, de matre Megæra.
Non deus eſt: ſed nempe deûm contemptor & oſor.
Nam divina parum curant qvi vina ſeqvuntur,
Nec bene tractabit vinoſus ſacra ſacerdos.
Qvid memorare opus eſt, qvot morbos, qvotqꝫ dolores
Diſpergat nimius potus per membra, cibusqve
Immodicus? ſcatet hinc, tanqvam de fonte perenni,
Febris, & ulcus atrox, ſcabies, porrigo, podagra,
Articulosqꝫ premens, manibusqve infeſta chiragra:
Hinc lippe ſtillant oculi, reſolutaqve Baccho
Membra tremunt, dentesqꝫ cadunt: olet halitus oris:
Hinc ſtomachus langvens, atqꝫ inteſtata venit mors,
Sæva qvidem plures letho gula tradit acerbo,
Qvam gladius. qvid, qvod cenſus cito deperit: & mox
Mergitur in ventrem fundus, domus, atqꝫ ſupellex?
Et modo qvi fuerat dives, fit pauper, egensqve?
Ut vivas, comede, at non vivas propter edendum.
Jam dixi qvæ ſit mulier: nunc accipe, qvis ſit
Ille puer qvi ſtat juxta hanc, & vertice nutat,

Nec vigilare valet, puer hic eſt filius ejus,
Qvem labor ex ipſa genuit: ſomnusqve vocatur.
Nutriit hunc Lethe, multoqve papavere pavit:
Germanus Mortis, ſed non æternus, ut illa.
Hic hominum pellit curas, & feſſa diurno
Membra labore levat, revocatq; in corpora vires:
Qvo ſine non potis eſt qvisqvam producere vitam.
Infert multa tamen damna, & caligine qvadam
Obducit mentem, morbosqve inducit, & ipſum
Enervat corpus, qvoties ſine lege modoqve
Sumitur, & nimium torpentes occupat artus.
Parcus erit, ſi parca gula eſt: nam venter inanis
Excubat, aut minima contentus nocte qvieſcit,
Et levius dormit, melioraqve ſomnia gignit.
Eſt tamen afflictis magnum ſolamen, & omni
Optandum voto interdum, præcordia qvando
Angit amor, vel morbus atrox, vel caſus acerbus:
Tunc melior gemmis, tunc fulvo eſt gratior auro.
Ut mors, ſic ſomnus miſeros felicibus æqvat.
At dextra cui parca colo net candida fila,
Qvi facere & qvi noſſe cupit qvam plurima, & altum
In terris virtute aliqva ſibi qværere nomen:
Hunc vigilare opus eſt, nam non præclara geruntur
Stertendo, & molles detrectat gloria plumas.
Tu vero hunc vita, qvantum potes, & vigilato,
Eheu qvàm longam tribuent tibi fata qvietem,
Qvum ſemel adveniet nox illa noviſſima, poſtqvam
Non redit ulla dies, gelidosqve reliqverit artus
Spiritus iſte levis, volucriqve ſimillimus auræ,
Tunc tibi perpetuo claudentur lumina ſomno,
Hæc nobis dum Diva refert, Thaumantias alto
Ecce venit demiſſa polo, cui mille colores
Hinc atqve hinc ſole adverſo rorantia præbent

Nubila, purpureis qvæ ſic eſt fata labellis:
Diva panymphæo ſalve cariſſima regi,
Cunctarum ô Arete (me judice) prima dearum:
Huc venias, qvoniam turba omnis cœlicolum te
Viſere jam pridem geſtit, jam deſere terras
Infames, & regna malis habitata colonis.
Non ſedes hic tua bonis, hic omnia regnant
Crimina, religio nulla eſt pietasqve fidesve.
Hic contempta jacet virtus, inſcitia ſceptrum
Obtinet, & fraudes cuncti exercentur in omnes,
Qvare agedum cœptos ſermones rumpe, morasqꝫ
Tolle omnes, curſuqve pari volitemus ad aſtra,
Tunc me reſpiciens Arete, inqvit: Non tibi poſſum,
Ut vellem, dictis exponere ſingula: ſed mox
Craſtina cum roſeo rediens Pallantias ore,
Expulerit tenebras jam lumine matutinas,
Ad te aliqvem mittam, gaude, qvo cætera diſces.
Jamqve vale; his dictis, petierunt æthera ſaltu,
Excepitqve ambas Zephyrus, ſurſumqve vehebat,
Donec læta utraqve in liqvidas evanuit auras.
Ceu qvum Scylla patrem fugiens ſcelerata ſeqven-
Paulatim ſeſe attolit: ſubit ille protervo (tem,
Inſiſtens animo, ducitqve per aëra gyros,
Defecti cupiens facinus punire capilli:
Hæc vero denſas interſe condere nubes
Nititur, atqve oculos fruſtratur cæca tuentum:
Illuc & Niſus penetrat, neuterqve videtur.
Phœbus Atlantæo jam merſerat. æqvore currum,
Et veſper ſtabulis educens aſtra recluſis,
Ambroſiæ in campos ad pabula nota redibat:
Digredior mœrens, eadem qva duxerat olim
Me ſenior, repetoqve domum, promiſſaqve ſolis
Gaudia venturi, ſatis anxius expectabam

LIBER QUARTUS.

Synopſis LIBRI IV.

Poſt preces ad Apollinem fuſas ejusqve reſponſionem, author duos paſtores ad cantus certamen ſeſe accingentes offendit; inter qvos judex eligitur, Sed cantibus eorum ſeptem lupi ſupervenientes finem imponunt. Unde diſcedenti Poëtæ Aretes Filius è cœlo à matre miſſus ſupervenit. Qvi ut amorem legitimum laudat; ita vagas libidines execratus, Monachorum luxuriam exagitat. Amor omnibus cæteris animi affectibus longe præferendus eſt. Amore divino conſervari omnia demonſtrat. Deinde poſt pacis laudes; de amicitia, toto hoc libro, longe lateqve diſſerit, ejusqve munia exponit. Qvibus abſolutis poſt breve rerum ſublunarium ſchema, huic libro finem imponit.

CANCER.

SOL, qvi perpetua mundum vertigine luſtras,
Alme parens rerum, cœli decus, & ſtellarum.
Princeps, æterni fons luminis, undiqve cernens
Omnia puniceo dum Perſida linqvis ab ortu:
Et pergens, tandem extremo tua lumina condis
Heſperiæ fluctu, Calpenqve noviſſimus uris,
Atqve eadem rurſus repetis veſtigia ſemper.
Per te cuncta patent, noctis qvibus umbra colorem
Abſtulerat, tenebris tua non patientibus ora,
Mundi oculus: qvi transverſo dum limite curris
Per duodena means animantum idola, qvaternis
Diſpenſas annum ſpatiis, & tempora mutas,

Et cum temporibus qvicqvid generatur in orbe,
O ſanctum jubar, ô divum pulcherrime ſalve:
Te colimus, tibi ſincero de pectore laudes
Fundimus, ac tu hodie læto nos reſpice vultu,
Et lætum concede diem, redeasqve benignus:
Nubila diffugiant, aër ſit ubiqve ſerenus,
Adventuque tuo ponti vada falſa qvieſcant,
Et ſit iter tutum cupidis per cœrula nautis:
Non ſegeti, non arboribus, non vitibus imber,
Inſanusve obſit turbo, lapidosave grando:
Sed blandas Pyrois afflet mortalibus auras.
Accipiantqve tuo reditu Deus omnia pacem.
Salve præſidium, & ſacris tutela poëtis:
Tu vatum mentes divino numine reples,
Ipſorumqve moves ad dulcia carmina linguas:
Tu dignos lauroqve facis, famaqve perenni.
Salve igitur, dexterqve mihi ſis qvæſo canenti,
Et faveas cœptis, & noſtros dirige curſus,
Donec ad optatum veniat mea cymbula portum.
Hæc ego Caſtalias flexo dum poplite ad undas
Orarem ſupplex, nympharum adſtante corona,
Audiit excelſa Delphorum Phœbus ab arce:
Audiit, & viſum eſt templi nutare cacumen,
Eqve adytis ingens effulſit ſplendor, & ingens
Vox audita, meas qvæ ſic pervenit ad aures:
Infelix juvenis, qvem adeo fata impia vexant,
Qvi tam crudeles vivendo tranſigis annos:
Eſto animo forti, & dura: patientia vincit
Omnia: in adverſis rebus ſunt proſpera ſemper
Magnanimo ſpernenda viro: tunc celſior exit,
Qvum premitur virtus, viden ut fortuna freqventer
Qvos peſſum dederat mutata extollat eosdem?
Alternetqve vices? nihil eſt durabile ſemper

Sub cœlo, redeunt poſt triſtia nubila ſoles
Jncundi: poſtqvam ventis maria alta fuerunt
Exagitata diu, tandem pacata reſidunt:
Et remeat brumæ poſt frigora floriferum ver,
Ergo animum firma, & duris ne defice rebus,
Teqve ipſum ſerva fatis melioribus: olim
Adveniet tempus, curſum variantibus aſtris,
(Si non ante diem parcæ tua fila ſecabunt)
Qvando tuum, qvod nunc merſum jacet atqve ſepultum,
Mille per ora virum fiat memorabile nomen.
Ipſe adero, ſemperqve novem mea turba ſorores
Adſtabunt comites qvocunqve acceſſeris: & te
De plebe eripient, clarumqve in ſecula reddent.
Iſta mihi reſponſa dedit cortina precanti.
Aſt ego vix poſſum diis credere talia de me:
Uſqve adeo ſum perverſo ſub ſidere natus,
Uſqve adeo aſſiduis cœlum me caſibus urget,
Inde tamen decedo hilaris, perqve avia ſolus.
Errabam, & pariter volvebam talia mecum,
O ſi fortè aliqvis mihi nunc hominumve, deumve
Occurrat, qvem diva Arete, ut promiſerat, ad me
Doctorem mittat, qvo diſcere cætera poſſim.
O ſi ipſa æthereo potius deſcendat ab axe,
Meqve ſuis iterum doceat pulcherrima verbis.
Vallis erat montes inter porrecta propinqvos,
Atqve iter anguſtus limes præbebat eunti:
Progedior, videoqve duos in gramine læto
Paſtores, pariter qvadam ſub rupe ſedentes:
Qvi poſitis peris juxta, & qvos ferre ſolebant
Nodoſa é corno baculis, certare canendo
Inter ſe accenſi audis mercede volebant,
Sed judex deerat, cujus ſententia litem

Solveret, & palmam victori ferret honeſtam.
Ut me viderunt, extemplo accerſit uterqve,
Et rogat, ut vellem ſecum reſidere ſub illis
Cantibus, & tanti certaminis arbiter eſſem.
Tunc unus poſtqvam ſumpta præluſit avena,
Talia ſublatis in cœlum cœpit ocellis,
O flos Dardaniæ, puer, ô dilecte Tonanti,
Pocula qvi ſuperis ſpumantia nectare miſces,
Cede polo, jam cede polo, formoſior alter
In terris nunc eſt qvi pocula ſacra miniſtret:
Jupiter hunc rapiens, te ſpreto, ad ſidera tollet:
Invidia rumpere miſer, moriere dolore.
Sed potius ne cede polo, tu vina propines
Cœlicolis, maneat mecum mea cura Philetus:
Qvo ſine nec mihi dulce aliqvid, nec vivere gratum
Hunc qvoties pernicis eqvi per devia tergo, (eſt,
Invectum, capreas arcu cervosve petentem
Najades aſpiciunt, cæco ſtimulantur amore,
Multaqve cum multis cupiunt dare baſia donis,
Certatimqve ferunt vario de flore corollas,
Et calathos pomis plenos, & dulcibus uvis.
O ſi non adeo puer implacabilis eſſet,
O ſi ſe facilem miſero præberet amanti,
Me foret in toto nullus felicior orbe;
Sed ſpernit noſtrasqꝫ preces, noſtrumqꝫ dolorem,
Et fugit, ut nervo Aſſyrio transmiſſa ſagitta
Ne fuge me, neu ſperne precor, formoſe Philete:
Non ego ſum Læſtrygonio de ſanguine, amari
Sed dignus fortaſſe tibi, ſi me bene noris.
Nam qvamvis hirtæ in noſtro ſint corpore ſetæ,
Et barba à mento impexis cadat horrida villis,
Non ſum deformis tamen, & ſua gratia barbæ eſt
Et ſetis, ſuntqve iſta viris pugnacibus apta,

Robuſtosq; decent: ſint levia membra cynædis.
Qvid? qvod divitiis paſtorum, haud vincor ab ullo?
Qvandoqvidem mihi non deſunt armenta gregesqve,
Mille meæ viridi paſcuntur gramine vaccæ,
Mille mihi per denſa ſues qverceta vagantur,
Enixas habeo pecudes, fœtasqve capellas:
Lactis acetoſi nunqvam mihi copia deſit:
Eſt vetus eſtqve recens plena mihi caſeis arca.
Sume tibi qvodcunqve velis, namq; omnia noſtrã
Sunt tua, ſumqve tuus: qvamqvam hoc ingrate recuſas,
Si me diligeres, mecumqve aliqvando venires,
Colligerem tibi poma, altis hærentia ramis,
Qvæ referunt cerasqve novas, maturaqve fraga,
Implerem qve tibi corylis nucibusqve caniſtrum.
Ah qvoties qvoties mediis te amplecterer ulnis,
Imprimerem roſeis mille ac mille oſcula labris.
Ne dubita, mellite puer, mecumqve venito:
Stabimus ad nitidum fontem, gratumq; ſoporem
Amplexu juncti pariter capiemus in umbra,
Allecti ſtrepitu ramorum & murmure rivi,
Dum fervente die crepitant per rura cicadæ.
Heu mihi, me ſpernis, ſpernis qvoq; munera noſtrã
Nec mœſtis lacrymis, nec blanda voce moveris,
Sævior Hyrcana ſublato tigride fœtu,
Surdior ex pario qvæ fiunt marmore ſignis,
Durior Alpina caute, Arabioqve adamante.
Qvo tibi forma tua eſt, ſi ſis crudelis, & omnes
Deſpicis, atqve mori miſeros compellis amantes?
Sic pulchros inter flores latet horridus anguis,
Sic & in Hyblæo miſcetur melle venenum.
Pone tuos faſtus: inimica ſuperbia divis.
Nec te decipiat fugitivæ gratia formæ:

For-

Forma brevis flos eſt primo ſpectabilis ortu:
Mox languens fugiente die, dum florida durat
Ætas, dumqve cutis tenero fulgeſcit in ore,
Ne pure incaſſum felicia tempora perde:
Utere conceſſis tibi, dum potes, utere donis,
Omnis qvippe ſuo res commendatur ab uſu.
Tempus erit, qvum tetra genis horreſcere barba
Incipiet, faciem criſpantibus undiqve rugis,
Caniciesqve premet laudatos fœda capillos,
Tunc fruſtra amiſſum lugebis ſtulte decorem,
Sæpius, & tecum dices: qvo priſtina ceſſit
Gratia? qvo roſeus niveaqve albedine miſtus
Migravit color? ah noſtræ ſpes irrita formæ.
Mutatosqve gemes vultus, deformiaqve ora,
Ipſum te qvoties ſpeculo referente videbis.
Sed qvid ego in ventos vanas effundo qverelas?
Qvid ſtudeo ſterili committere ſemen arena?
Me miſerum, fruſtra (ſic vultis fata) laboro:
Sic vultis fata ô nimium contraria nobis,
Præcipuè qvum dirus amor mea pectora vexat:
Fatum in amore valet, pluſqvam gaza omnis, &
omnis
Nobilitas: etiam fato eſt obnoxia virtus,
Fato deſpicitur princeps, & ſervus amatur,
Sit tamen ipſe licet preſſo truculentior hydro,
Meqve minus fronde aut ulva liceare paluſtri,
Te ſemper mea vita ſeqvar, te ſemper amabo:
Corde Philetus erit noſtro, noſtro ore Philetus.
His tacuit dictis, mox talia ſubdidit alter:
Polline candidior Mellina, & virgines calce,
Et pelagi irati ſpumis, & lacte recocto:
Maturis ceraſis eadem rubicundior, atqve
Moris, qvæ nondum nigro ſunt tincta colore:

Pulchrior arboribus, verno qvum tempore florent:
Dulcior arenti ficu muſtoqve recenti.
Non habuit credo tales Cytherea papillas:
Non tales oculos, nec tam ſpecioſa labella.
Qvid laudem femur, aut femori confinia membra?
Has tractare juvat potius, qvam dicere partes.
Non modo mortales inter laudata, ſed ipſis
Diis etiam Mellina placet. Vidi ipſe ſeqventem
Hanc Satyrum, & tandem captam ſub ſubere preſſit:
Clamabat, volui demens accurrere, opemqve
Ferre, ſed hirſuti metuebam cornua divi,
Rivalemqve auſus non ſum tentare ferocem.
Ah qvoties nutu blandi me invitat ocelli,
Accerſitqve ultro, & niveis mea colla lacertis
Haud aliter nectit, ſoleat qvàm nectere ramos
Admotos hedera, aut vitis! laſcivaqve mordet
Cervicem, leviterqve manu mea percutit ora
Ludendo: juratqve mihi, me præter, amare
Se nullum! ſed non adeo ſum ſtultus, ut iſta
Vera putem: qvoniam nil eſt mendacius ipſa
Fœmina: & inſuetis qvo te magis improba palpat
Blanditiis, hoc eſſe magis tibi ſcito cavendum.
Dixerat iſta canens, atqve addere plura volebat?
Ecce autem veniunt per ſaxa crepidinis, inter
Pendentes frutices, anguſto calle, latenter
Septem fortè lupi, ſtimulante cupidine paſtus:
Invaduntq; greges, nunc has, nunc morſibus illas
Dilaniant pecudes, merſantqve in ſanguine rictus.
Contra, conatur magnis latratibus hoſtes
Pellere turba canum, ferro circumdata collum.
Ingens fit ſtrepitus, valles reſonare boatu:
Conſurgunt trepidi, poſito certamine cantus,
Paſtores, baculis nodoſo è robore ſumptis,

Et funda, accurruntqve ſimul, ſolusqve remanſi,
Tunc alia diſcedo via ſperansqve, timensqve,
Atqve animi dubius, mecum diverſa volutans,
Progredior, qvantùm ſpatii ter plumbea maſſa
Impetu tormenti exiliens metitur aheni:
Illimen fontem ſcatebris gliſcentibus, inter
Frondoſas platanos reperi, qvem mollia circum
Gramina cingebant, ſacroqve ſedilia topho:
Ut puto, nympharum ſedes: qvum torrida fervet
Æſtas, & mundum rabioſus Sirius urit,
Haud procul hinc aberant, plenos onerantia ramos
Sorba: ego confeſtim, qvoniam matura videbam,
Acceſſi, & nonnulla manu decerpta comedi.
Inde ſitum cupiens hauſtis extinguere lymphis,
Ad fontem propero, & fonti prona ora reclino:
Dumqve bibo, in nitidis ſplendebat calculus undis.
Interea juvenem qvendam demittit Olympo
Diva Arete; noſtri non immemor. Ille volatu
Præcipiti ſecat æthereas velociter auras.
Dum volat, accipitres curſu prævertitur ipſos,
Prendere qvum prædam peñis ſtridentibus ardent.
Actutumqve ad me venit, qvi fortè jacebam
Graminea in ripa, feſſus, dicitqve ſalutem.
Ilicet aſſurgo, & Juvenem reverenter adoro.
Ille autem ſuperans humanam corpore formam,
Divæ Aretes, inqvit, ſum filius: ipſe Timalphes
Nominor: huc genitrix miſit me, ut ſingula demum
Qvæ reſtant dicenda, ſuo nunc ordine pandam.
Sedimus ergo ambo, dehinc fati talia cœpit:
Audiſti qvæ ſit mulier de parte ſiniſtra,
Qvis puer ipſius: namqve hoc tibi mater apertè
Oſtendit, qvare nunc reſtat dicere qvæ ſit
Altera, qvæ dextram puero comitata tenebat,

Hanc Venerem appellant homines, dicuntqve creatam
De pelagi spumis, tunc qvum Saturnus in æqvor
Creditur ingratus testes jecisse paternos.
Sic perhibent Græci, gens multum accommoda nugis,
Garrulitate potens, fingendiqve apta magistra.
Uranius tamen hanc genuit de Lopade nympha,
Uranius rerum genitor, qvo vastior Atlas
Non fuit, Enceladusve ferox, tumidusve Typhœus
Nec qvotqvot tellus produxit fœta Gigantes.
Huic natura novem capita addidit, inde supremum
Absqꝫ oculis versum est Tartessi ad littora semper
Cætera ad auroram spectant: plus mille secundo
Lumina sunt, reliqvis unum: jactatur ad arces
Dextera Riphæas, boreæqve cubilia tractat.
Sed qva parte Notus mittit sua flabra, sinistram
Extendit, mundumqve manu metitur utraqve:
Contingens pedibus manes, & vertice cœlum,
Omnigeni pecoris pastor ditissimus idem,
Qvod latè in terras omnes diffundit alendum.
Non esset pecori numerus, nisi filius ejus
Pamphagus, horrificum rabie atqve trigutture monstrum
Assiduê cum uxore sua (qvæ nomine fertur
Atropos) armenta atqve greges sine fine vorarent.
Hanc Venerem idcirco Uranius tulit, atqve deorum
Cuidam pædogeni æterno sociavit amore,
Consortemqve tori fecit: qvo fœdere jussi
Instaurare aliam prolem, & supplere creando,
Hæc est illa Venus, sine qva cultore careret
Maximus, & densis horreret sentibus orbis.
Hanc Deus instituit, naturæ ut damna rependat.
Qvod vero Deus instituit, damnabile non est.

Qvid

Qvid de illis igitur dicam, qvi cœlibe vita
Contenti, dulces non curant gignere natos,
Sed ſteriles obeunt radicitus, & moriendo
Poſt cineres non ulla ſui monumenta relinqvunt?
Hi peccant certè, &, ſi verum dicere fas eſt,
Naſcitur indignè per qvem non naſcitur alter:
Indigne vivit, per qvem non vivit & alter:
Qvi tamen aut morbo, aut alia ratione tenentur,
Qvo minus hoc poſſint uti, preſſive maligna
Paupertate, timent mendicam educere prolem:
Aut qvi cœleſtem ſapienter ducere vitam
In terris malunt, qvorum rariſſima turba eſt,
Abſtineant: nam tunc fas eſt, veniamq; merentur:
Sed multi nolunt uxorem ducere, multas
Ut paſſim inceſtent, diverſaqve pabula carpant:
Qvoqve magis fallant vulgus, ſe addicere ſacris
Haud dubitant, & templa colunt, divumq; miniſtri
Cenſentur: varias leges, habitusqve capeſſunt
Inſvetos, raſo ſperantes vertice cœlum:
Inſani fugiunt mundum: im̃undumq; ſeqvun-
Et cum ſe ventri dedant, molliq; qvieti, (tur:
(Qvæ duo neqvitiæ ſunt nutrimenta) pudici ut
Credantur, cæcis condunt ſua furta latebris,
Et ſatagunt nigram vitiis obtendere noctem.
Nemo qvidem caſtè conſvevit vivere, ſalvis
Ingvinibus: niſi qvem jam debilitata ſenectus,
Aut langvor gravis, aut animi dolor impedit ingens
Aut regit ætherei ſapientia plena pudoris.
Omne ſupervacuum natura è corpore pellit.
Hinc eſt qvod Venerem nocturna inſomnia ſol-
Gaudiaq; informant, veros imitantia luſus. (vunt,
Multi autem, qvia ſunt cauti, caſti eſſe putantur.
Eſto tamen, qvod Veſtales, ipſasqve Sibyllas

Virginitate ſua vincant; cedò, dignior utra,
Utra eſt nobilior, ſterilisne, an fertilis arbos?
An qvæ eſt terra ferax, an qvæ nil gignit arena?
O vanas hominum curas, ô futile votum!
Diſcite naturæ ſanctas non temnere leges:
Qvæ vult, ut genitus generet: qvæ gaudia fecit
Tam bona concubitus, non ut te abſterreat: imo
Ut magis alliceat: naturæ obſiſtere cur vis?
Nempe Venus nulli culpæ eſt obnoxia, ſi ſit
Legitima, atqve modum ſervet, ſi debita fiat.
Aſt nimia enervat vires, effœminat artus,
Ingenium obtundit, breviat qvoqve tempora vitæ.
Jam nunc de Veneris puero nos dicere oportet.
Hic eſt ille hominum domitor, domitorq; Deorum,
Qvi face, qvi pharetra totum perterritat orbem:
Cui qvamvis puero & cæco tamen omnia parent.
Qvæ terras pelagusqve colunt, qvæqve æthera summum.
Heu qvantos ignes, & qvanta incendia paſſim
Excitat iſte puer, qvantum ô pharetrate Cupido
Arbitrii tibi conceſſum eſt tibi nulla reſiſtunt
Robora: tu pecudes, tu homines, tu numina vincis,
Sæpe tuis fixum telis gemuiſſe Tonantem
Novimus & varias compulſum aſſumere formas,
Fulmine depoſito, & cœli regione relicta,
Non dedignatum miſeras inſiſtere terras:
Nunc aqvilam fieri, nunc torva fronte juvencum,
Nunc ſe paſtorem, nunc ſe ſimulare colubrum,
Interdumqve ignis ſpeciem, Satyriqve figuram
Aut auri induere, ut candentis corpus oloris.
Ennoſigæus item liqvido mutatus Enipeo,
Dum tua tela miſer ſentit, Salmonida preſſit.
Sæpè etiam voluit delphin, ariesqve videri,

Aut

Aut eqvus: & toto flammas extingvere ponto
Qvas tu condideras in pectora cæca neqvivit.
Fabula longa nimis, cunctos ex ordine divos.
Et factum accipitrem Phœbum, factumq; leonem
Dicere: vel ſtygii furias memorare tyranni.
Talia non opus eſt referendo abſumere tempus.
Qvippe ego ſi cunctos heroas & heroinas,
Qvotqvot dirus amor lethali vulnere fixit,
Enumerare velim: creſcet mihi longior ordo
Hiſtoriæ, atqve prius condens ſua lumina Titan
Abluet Heſperio fumantes gurgite currus.
Ergo operæ pretium puto omittere talia, cum ſint
A multis jam dicta aliis, nunc vera ſeqvamur.
Non puero huic Bacchus pater eſt, ut Græcia fingit:
(Non etenim, ſi ſic, abſtemius ullus amaret)
Sed fatum: qvoniam fato junguntur amores.
Nimirum fatis mortalia cuncta reguntur:
Fatum dat mores, fortunam, & terminat annos:
Plus fatum qvàm forma valet: ſit maxima flammæ
Cauſa cupidineæ licet hæc, & corda tenaci
Præcipuè juvenum ſoleat vincire catena,
Plus qvoq; qvam nummi: qvamvis corruperit auro
Incluſam Danaën turri Saturnius alta:
Conſvetudo etiam & facilis conceſſa manendi
Sæpe ſimul, nulloqve ſimul ſpectante, loqvendi
Libertas: qvæ prona via eſt & lubrica, per qvam
Ipſe amor ingreditur, per qvam Venus ipſa paratur,
Haud multum certè fato renuente juvabunt.
Fato junguntnr, fato ſolvuntur amores.
Hinc vilis, deformis, inops, qvandoqve fruetur,
Qvod neqve formoſus poterit, nec dives habere.
Hinc pulchra & generoſa viro contemnitur uxor:
Interdum & pluris pellex trivialis habetur:

Hinc

Hinc uxor pulchrum & generoſum ſæpè maritum
Odit & immundi penem calonis adorat:
Aut aliqvem externũ, qvem vix bene noverit ardet.
Deniqve nì tribuatur amor pro lege deorum
Cuiqve ſuus, niſi ſit diviſus limite certo, (ri;
Non dubium eſt qvin poſſit ab omnibus unus ama-
Non dubium eſt, poſſit qvin omnes unus amare,
Et paſſim, qvacunqve velit ſibi qvisqve potiri.
Sed veluti piſcès piſcator non capit omnes,
Non omnes volucres auceps, non omnia luſtra
Venator ſpoliat: ſed qvod ſua cuiqve dedit ſors,
Hoc habet, hoc patitur: ſic diſpenſantur amores,
Arbitrio ſuperum: dominæ ſic ſæpè placebit
Ipſe ſuæ ſervus: ſic pulchram ſæpè puellam
Euclio zeloſus, grandævus, lippus habebit.
Ac veluti infauſto qvi ſidere mercibus implet
Mercator navim, nocituraqve cærula tentat.
Naufragio, aut diris prædonibus expoliatur:
Sic qvisqvis cœlo adverſo, fatoqve ſiniſtro,
Uritur in caſſum tempus terit, atqve laborem.
Imo ignominiam & crudelia vulnera ſæpè
Accipit: interdum letho mercatur amorem.
At cui fata favent, & cui fortuna ſecunda eſt.
Pace frui, poterit, qvod vult & tutus amare.
Verum hæc qvam paucis conceſſa eſt gratia, pauci
Tam faciles habuere Deos, tantumqve benignos:
Excepto, ſi qvis cautê ſua gaudia celet.
Uſqve adeo, ut nulli fidat, nulliqve recludat.
Qvippe homini nunc nulla fides, nunc omnia plena
Inſidiis, ſocio nunc qvisqve imponere tentat.
Qvod ſi arcana ſuo qvisqvam commiſit amico,
Hunc metuat, ne qvando fides frangatur, oportet
Ne qvando infenſus mutata mente revelet,

Qvod

Qvod prius in cordis penetralibus occultabat,
Ergo ſi liber vis eſſe, & vivere tutus,
Non ulli credas, qvod tu clam feceris: & ſic
Semper amicum habeas, dum durat fœdus, ut ipſum
Poſſe putes hoſtem fieri, qvod ſæpè videtur.
Nam qvi ſemper ament noſtro ſunt tempore rari.
Invidia eſt & jam multum metuenda ſecundis
Qvæ ſemper rebus dirum miſcere venenum
Nititur: invidiam moneo timeatis amantes.
Propterea qvid ames, nemo ſciat: occule amorem
Qvi ſapis, atqve tuus fac ne ignis luceat extra.
Invidia horrendum monſtrum, ſæviſſima peſtis,
Exitiale malum, qvo non violentius ullum:
Virtutem inſeqvitur, lacerat benefacta, bonosqve
Odit, & alterius juſto indignatur honore.
Qvanqvam nemo ſatis proprium celabit amorem,
Si fata impediant, inimicaqve ſidera nolint,
Qvippe humana parum prodeſt prudentia, qvando
Decernunt aliter ſuperi: fruſtraqve laborat,
Rem qvicunqve parat diis adverſantibus ullam,
Non tamen idcirco non omni eſt arte cavendum:
Non omni utendum ſtudio pro viribus, atqve
Conſilio, nam qvi fecit qvod debuit, & ſpe
Fraudatus tamen eſt, merito laudatur, & omnem
Invidiam in ſuperos transfert: qvos ſæpè favere
Stultitiæ, atqve bonos peſſundare ſæpè videmus.
Felix, cui favor à cœleſti traditur arce.
Qvem Deus ipſe fovet, qvi dextro eſt ſidere na-(tus.
Huic etenim jucundus amor contingit, & absqve
Felle frui, longa poterit dulcedine lætus.
Nempe amor eſt dulcis: nempe eſt res blanda, jocoqve
Plena & deliciis, ni fato fiat amarus.

Cujus qvi nunqvam eſt expertus tela, vocari
Jure poteſt ſenſus expers, nam bellua qvæ non
Igne cupidineo flagrat? certè omnia, qvamvis
Vilia & exigua, has norunt animalia curas,
Sic ſtatuente Deo? qvare qvi qværit amorem,
Rem qværit divinam: etenim niſi cuncta pereñi
Ipſe Deum, atq; hominum rex proſeq;retur amore,
Deficeret mundus, pariterqve elementa perirent.
Qvilibet id ſervat qvod amat, gaudetqve tueri.
At qvod non amat, id nemo ſervare laborat.
Idcirco rerum ſeries æterna manebit:
Qvippe Dei eſt æternus amor, qvi cuncta tuetur.
Et licet orta cadant, ſpecies nulla atterit ætas:
Diligit has etenim per ſe Deus optimus, at non.
Sic ea qvæ rapidæ debentur corpora morti.
Namqve perire ſinit nemo qvod diligit, illud
Si ſervare poteſt: ſed qvis neget omnipotentem
Eſſe Deum? ſervare poteſt, ſed non amat ipſe
Corpora: corrumpi idcirco ſinit, at ſpecies non,
Qvid figulus curat, ſi frangitur iſta vel illa
Olla? rotam pedibus volvens, cretaqve reſumpta,
Ipſe novas iterum fingit, ſpernitqve priores.
Præterea cœlum, tellus, aërqve, fretumqve
Atqve ignis, demum totius machina mundi
Hoc ſtat & hoc durat tot jam per ſæcula nexu.
Nam niſi tantus amor firma compage teneret
Omnia, pugnarent vinclis elementa ſolutis:
Non cœlum terris lucem, radiosqve calentes
Nec generandarum præberet ſemina rerum:
Aëra finitimum conſumeret improbus ignis:
Nec tempeſtivas pluvias demitteret aër,
Nuda foret tellus, æqvorqve extingueret ignem,
Aut igni potius piſcoſum areſceret æqvor:

Ut qvondam, qvum flam̃ivomos Clymeneïa proles
Non bene rexit eqvos, metuens cœleſtia monſtra,
Infelixqve ſui renuens præcepta parentis,
Corruit in voto, ſenſitqve incendia mundus,
Donec fulmineo præceps dejectus ab ictu,
Eridani mediis flammas extinxit in undis.
Gignit amor pacem: pax eſt digniſſima rerum,
Omnia pace vigent, & pacis tempore florent:
Paci ſummus honos, paci eſt qvoq; ſum̃a voluptas.
Tunc tuti vivunt homines, tutusqve viator
Carpit iter, nec fit ſævorum præda latronum:
Tunc apium cura & pecoris, tunc arva coluntur
Aſſiduè, & largas pariunt pro tempore fruges:
Copia tunc Cereris, tunc lac, tunc Bacchus abundat,
Palladiusqve liqvor: tunc paſſim luditur, & tunc
Inflata ad thyaſos invitat tibia, ſoli
Oderunt pacem ſtulti, & certamina qværunt:
Talia fluxerunt Saturno tempora rege:
O felix ætas ipſo precioſior auro!
At nunc (proh dolor) inſano diſcordia motu
Omnia conturbat, terret, repletqve tumultu.
Nunc juvat eſſe trucem, & leges diſcindere ferro:
Juſtitia eſt potuiſſe magis, nunc mille colubros
Mille faces qvatiunt, toto & bacchantur in orbe
Eumenides, populosq; agitant, regesqve ſuperbos.
Qvid juvat ô miſeri, pugnando laceſcere mortem?
Nunqvam ſera venit, ſed dira ſuperbia tanti
Cauſa mali, & væſana fames, atqve ardor habendi:
Heu cur uſqve adeo viliſſima terra ſuperbis,
Cujus fœda brevi corrodent viſcera vermes?
Qvid tantum qværis? te ſemper forſitan eſſe
Victurum credis? miſer, ah miſer, aſpice qvam ſit
Incertus, velox, anguſtus terminus ævi.

Sufficiet brevis urna tibi, parvumqve ſepulchrum.
Qvod ſi amor humanos animos aſtringeret, iſta
Non fierent; ſed qvisqve ſuo inſerviret amico,
Qvisqve ſibi charum qva poſſet parte, juvaret.
Certè nec melius qvicqvam, nec dulcius eſt, qvàm
Sincerè à multis, dum vita hæc durat, amari.
Rebus in adverſis magnum munimen: amici:
Solantur, firmant animum, prodeſſe laborant:
Qvaqve valent, miſeras curas & damna levare
Conantur, tecumqve dolent, tecumqve qveruntur.
Haud facilè ille perit qvicunq; eſt dives amicis.
At qvum te vultu ſpectat fortuna ſereno,
Et verſat meliore rota, tua commoda tecum
Percipiunt, gaudent tecum, convivia tecum
Plena jocis celebrant, augent tua facta favendo.
Qvare qvi tutam & lætam vult ducere vitam,
Qvàm multos ſtudeat ſemper ſibi jungere amicos.
Pluribus hoc autem fiet rationibus: ipſas
Qva potero expediam, ſed primum ſcire neceſſe eſt,
Eſſe voluntatis motum hunc, qvem vulgus amorem
Appellat; nam velle bonũ eſt, qvod fertur amare.
Semper habere bonum deſiderat ipſa voluntas,
Et vitare malum, ſolisqve movetur ab iſtis.
Hæc duo ſunt igitur cauſa & fundamina amoris.
Omnia ſed bona ſunt triplici diſcrimine ſecta.
Qvædam jucunda, & qvædam dicuntur honeſta:
Utiliumqve aliud genus & natura bonorum eſt.
Sicq; malum triplex: damnoſum, turpe, moleſtum:
Qvisqve amat, hæc animo fugiens, aut illa reqvirens.
Eſt igitur diverſus amor, diverſus ut eſt fons
Unde oritur, laude aut probe non dignus eodem.
Hæc tria non ſolum inter ſe differre putandum.

Per

Per genus: aſt etiam ſpecies habet unumqvodqve
Per ſe multiplices, delectans, utile, honeſtum.
Qvæ cum ſint variæ, varii redduntur amores.
Utile enim eſt qvicqvid prodeſt, non eſt tamen unum:
Sicut multa etiam bona corporis, atq; animi ſunt,
Qvatuor ad corpus ſpectant bona: robur, & ipſa
Forma, valetudo, levitas: qvodcunqve dat iſta,
Vel res ſit, vel homo, prodeſt, atqve utile fertur.
Aſt animi duo ſunt bona, mos, doctrinaq;: ſicut,
Sunt animi geminæ virtutes: ipſa voluntas,
Cùjus ſunt mores: & mens, cui noſcere verum
Eſt proprium, mentis bona ſunt complura, novemqve
Doctrinæ hanc ornant: qvas vatum carmina Muſas
Apellare ſolent, ter ternis orbibus aptæ.
Sicqve voluntatis bona plura, & qvatuor horum
Præcipua exiſtunt: prudentia, juſtitia, atqve
Grandia qvæ aggreditur fortis diſcrimina virtus,
Necnon qvæ frænis nos temperat, atqve modeſtos
Efficit, ex iſtis, tanqvam de fontibus omnes
Emanant aliæ: qvas qvisqvis diſcere qværit,
Volvat Ariſtotelis libros, vel ſcripta Platonis
Inſpiciat: duo ſunt hæc magni lumina mundi.
Ergo, qvicqvid erit tribuat qvod talia nobis,
Utile dicetur, veluti medicina, medensqve
Corporibus, velutiqve animis, liber atq; magiſter.
Utiliora tamen ſunt & meliora putanda
Qvæ proſunt animo: qvia corpore dignior ipſe eſt.
Ut ſervo dominus, rate nauta, aurigaqve curru,
Sed mediatè aliqvid prodeſt, aut immediatè:
Ut ſator & nummus, cocus & cibus eſurienti.
Idqve ipſum dico de delectantibus: hæc nam

Per multas species, per multaqve membra secantur,
Qvorum animos qvædam delectant, corpora qvædam;
Suntqve voluptates animi qvàm corporis, omnes
Sinceræ magis, & stabiles, & nobiliores,
Cum diis communes nobis, ut cætera sensus
Gaudia sunt etiam brutis concessa: seqvuntur
Hæc pecudes propriè, namq; his dulcedine mentis
Posse frui vetitum est, neq; cunctis sensibus ipsæ
Lætantur, solo gustu tactuqve moventur:
Qvippe nec harmoniam, sed nec diapasmata curant,
Nunqvid Apellæas tabulas, aut æra Corinthi
Mirantur, vel clamosi spectacula circi?
Si qvid odorantur tamen, aut si vocibus ullis,
Vel si nonnunqvam aspectu gaudere videntur:
Id gustus fit vel tactus ratione: velut qvum
Massylus visa in campis leo fortè juvenca
Exultat, tollitqve jubas, caudamqve retorqvet,
Prædæ avidus: vel qvum sonipes per prata vagantem
Viditeqvam, Veneris stimulante cupidine fertur,
Et resupinato dumeta per avia collo,
Subsultim graditur, cœlumqve hinnitibus implet.
Cumq; cibi & Veneris, pecudum sit sola voluptas,
Et propria: idcirco est etiam vilissima, vixqve
Conveniens servis: hebetat nam mentis acumen
Immoderata, solet multum qvoqve lædere corpus.
Ergo qvicunqve est huic deditus, insipiens sit,
Et servire magis qvàm aliis dominarier aptus.
Non est turpe tamen moderatè talibus uti.
At bona si qvæ sint cognoscere qværis honesta:
Qvod nuper dixi reminiscere, namq; animi sunt,
Doctrina & mores, veluti paulo antè relatum est.

Sed

Sed qvod nunc dicam ſolerti mente notato.
Qvæ bona delectant, qvàm longo tempore durant,
Tam longo exiſtunt jucunda, & poſtea nil ſunt.
Exemplo tibi ſit, Veneris cantusqve vøluptas.
Aſt qvicqvid præbet bona corporis, utile fertur.
Ipſa autem bona ſunt jucunda, velut valetudo
Jam data delectat, medicina ſed utilis ipſa eſt.
Id qvoqve qvod confert animi bona, jure vocatur
Utile: verum animi bona poſtqvam tradita jam ſunt,
Fiunt jucunda, & ſimul efficiuntur honeſta.
Qvicqvid enim virtutem affert, eſt utile: at ipſa
Tradita jam virtus, jucunda & honeſta putanda,
Qvippe honor eſt ſoli virtuti debita merces.
Qvicunqve ergo cupit multum dum vivit amari,
Aut ſtudeat delectare, aut prodeſſe, vel in ſe
Virtutes habeat: qvas compelluntur & ipſi
Commendare mali, & qvamvis odere, verentur,
Sed prius illorum debet perpendere mores,
Qveis placuiſſe volet, namqꝫ eſt non una voluntas
Omnibus: hinc homines ſtudia in diverſa feruntur,
Uſqve adeo tribuit difformia ſemina nobis
Gignendo natura parens: qvod diſplicet illi
Hic amat: hic laudat qvicqvid damnatur ab illo,
Ergo non eadem ſunt cunctis grata, nec omnes
Utile idem cupiunt, eadem nec honeſta reqvirunt,
Qvare opus eſt noviſſe prius qvid cuiqve magis ſit
Acceptum, placeatqve magis: ne ſiat inane
Officium, caſſusqve labor, ne littus aretur.
Si forte aut injucunda, aut odioſa, ferantur.
Hoc autem non difficile eſt cognoſcere: ſermo
Haud dubiè oſtendit mores animumqve latentem,
Id qvod amat cerebrò loqvitur qvisqꝫ, atqꝫ libenter
Audit: multa domi poterunt qvoqve ſigna videri.

Nam cum vomeribus,ſtimulos,juga,raſtra,ligones
Agricolæ ſervare ſolent, arma horrida miles
Parietibus ſuſpenſa tenet: ſed qvisqvis abundat
Codicibus, poterit merito ſtudioſus haberi,
Sic de aliis dico, nimirum arcana reſignat
Lingva manuſq; animi, qvare qvæcunq; placebunt
Efficere hæc ſtudeat, qvisqvis ſibi qværit amicos,
Obſeqvio generatur amor: ſed maxima lucrum
Pars hominum ſeqvitur, nummos & munera cuncti
Affectant, donis multi acqviruntur amici.
Verum talis amor non eſt durabilis, & qvum
Deficit utilitas, fugit illico (præcipuè ſi
Ulterior non ulla manet ſpes utile habendi.)
Servilis, fidusq; parum: tamen inveniuntur
Qvidam, ſed rari, acceptorum qvi meritorum
Aſſiduè memores, non ceſſant ſemper amare.
Eſto qvod ingrati ceſſent: non proinde bonus vir,
Qvi rarus veluti Phœnix reperitur in orbe,
Multi prodeſſe ac pro viribus auxiliari
Debet deſinere: eſt etenim via ſola merendo
In cœlum, perqve hanc Alcides maximus olim
Inceſſit, multiqve alii, qvorum inclyta fama
Durat adhuc, nullum poſthac moritura per ævum.
Nempe Deo eſt ſimilis vir dapſilis atq; benignus.
Pars magna eſt etiam, qvæ delectabile qværit.
Hinc & amant, qvicunqve ſibi jucunda miniſtrant:
Præſertim pueri, juvenes nec non locupletes,
Gaudia ſectantur, ſectantur ludicra ſemper.
Sed nec talis amor verus, vel firmus haberi
Debet: namqve fugit, qvum deficit ipſa voluptas,
Si modo non redeat, vel non reditura putetur.
Eſt tamen interdum valde utilis, atqve per ipſum
Divitias multi, multi accepere favorem.

Delectare iditur ſtudeat qvi qværit amari,
Dum neqve qvod juſtum eſt, neqve transgrediatur honeſtum.
At prodeſſe modis & delectare duobus
Qvisqve poteſt, verbis ac rebus: tutius autem
Et levius multo eſt, verbis qvàm rebus amorem
Qværere, proinde opus eſt, qvo id fiat noſcere pacto
Utile ſi doceas qvemqvam, moneasve loqvendo,
Efficies, monſtrando etiam qvid proſit & obſit,
Qvo nocitura modo vitentur, & ipſa parentur
Commoda, in adverſis pro ipſorum orando ſalute,
Vel commendando, vel pro ipſis grata petendo,
Qvos in amore voles tibi jungere, ſi cupis autem
Delectare aliqvem verbis, laudato decenter
Ipſum resqve ſuas: vel ſi qvid geſſerit unqvam
Egregiè, ne te pigeat laudando probare.
Nam ſapiens æqve ac ſtultus laudarier optat.
Interdum lepidis, riſumqve moventibus, aures
Mulceto dictis, referendo ſiqva jocoſa eſt
Fabula, vel ſi qva eſt vetus aut nova digna relatu
Hiſtoria, & demum ſi qvid ſcis poſſe placere:
Non contradicas, imo aſſentire loqventi,
Sint non vera licet, qvod ſi pudet illa fateri,
Tu ſaltem taceas: nam diſſimulare tacendo,
Maxima plerumqve eſt prudentia. Vivere neſcit,
Ut bene vulgus ait, qvi neſcit diſſimulare.
Nonnunqvam, mihi crede, nocet, defendere verum.
Temporis atq; loci proinde eſt ſervanda, hominũq;
Conditio ſemper, ne qvid te lædere poſſit.
Aſt aliqvi abſentem malunt laudare, putantqve
Id melius faciunt aſtutè: talis enim laus
Gratior, atqve minus ficta & ſuſpecta videtur.

Qvippe solent multi præsentem extollere dictis,
Semper adulantes, ut veri habeantur amici:
Ast ubi terga abiens vertit, mordaciter urgent
Absentem, & rident, non valdè est fidere tutum
Laudanti coram, mos est hic mancipiorum.
Non deerunt autem, referant qvi singula, plures,
Aut unus saltem, fueris qvæcunqve locutus,
Vel bona vel mala sint: multus delator ubiqve est,
Hic te laudavit, dicet, vel vituperavit:
Sed tamen, ut paucis liceat concludere verum,
Non magis est gratum cunctis, & amabile qvicqvam,
Moribus ingenuis, integroqve ordine vitæ.
Hoc plus divitiis, plus cognitione probatur.
Namqve malus, qvamqvam doctrina & rebus abundet,
Neutiqve diligitur, vitiis odiosius est nil.
Si bonus atqve probus fueris, vel amabere, vel te
Non odio saltem (velut arbitror) ullus habebit.
Est autem verus auctorum sententia, mores
Qvod similes, simile & studium, sunt fomes amorum:
Sic vanus vanum, studiosus sic studiosum
Diligit, & socios adeunt animalia cœtus.
Hoc non inficior: nam qvo jungentur amore
Hi, qvibus est mens diversa & diversa voluntas?
Cum sit amicorum cupere & contemnere id ipsum?
Sed sceleratorum cito fœdera dissoluntur,
Stultorumqve brevi commercia tempore durant?
Nam propria utilitas qvam qvisqꝫ reqvirit iniqvus
Per fas atqve nefas, & sæva cupido nocendi,
Qvam malus omnis habet, paritercꝫ superbia & ira,
Stultorum fidæ comites, accendere bilem,

Bella movete ſolent, amor eſt durabilis ille
Duntaxat, cuicunqve dedit fundamina virtus,
Qvem genuit probitas: amor hic pia pectora tantum,
Sincerosqve animos æterno glutine firmat,
Et naturali pluris faciendus amore eſt,
Qvo genitnm & generans, & ab uno ſanguine creti
Mutuo ſe obſervant & amant, nam ſæpè parentes,
Oderunt nati, oderunt ſua pignora patres.
Germano inſidias germanus ſæpe paravit:
At nunqvam verus Pyladæ inſidiatur Oreſtes,
Nec Pylades mortem curat, modo proſit Oreſti.
Sed dubium eſt, fierine ullo conamine poſſit,
Ut nos omnis amet populus, juſtiqve, maliqve,
Nempe amor in plures diviſus, debilior fit,
Fortior in paucos, unita potentior eſt vis
Qvælibet, at partes in plures ſecta peribit,
Rectè igitur dicunt, raros tibi qvære ſodales:
Difficile eſt etenim cum multis vivere poſſe,
Et converſari aſſiduè: qvæ maximè amicos
Res decet: à multisqve fides negat ipſa teneri,
Cum paucis habitat potius, non ergo fideles
Eſſe tibi multos credas: nec dilige vulgus,
Nec te vulgus amet: comes eſt diſcordia vulgi.
Cum paucis pax læta manet, turba omnis abeſto:
Namqve turbando nomen ſibi turba recepit,
Paucos atqve bonos tibi delige, cum qvibus ævum
Ducere ſecurus valeas, & lite remota.
Ut non ergo potes multos vehementer amare:
Sic tu non potes à multis vehementer amari.
Nam qvi non amat, is nullo fit dignus amore.
Eſt alius civilis amor, communis, & omni
Præſtandus populo qvo qvisqve bonusqꝫ malusqꝫ

Diligier

Diligier debet, qvum nulla ex parte nocemus
Factis aut dictis cuiqvam, qvum taliter ipſi
Vivimus, ut nemo merito nos carpere poſſit;
Qvum ſumus ergo omnes blandi, vultuq; benigno
Qvemqve ſalutamus, laudamus, honorificamus.
Sed tamen in primis eſt utile, converſari
Raro, vel nunqvam cum multis, ſi tibi cordi eſt
Vitare inſanas lites pacemqve tueri.
Præſertim qvos eſſe malos noſti, aufuge: namqve
Haud facile eſt tribulos & ſpinas inter euntem
Illæſos habuiſſe pedes, illæſaqve crura.
Nec cures ſi te non diligit improbus; at ſi
Non odit, ſatis eſſe puta, non oderit autem
Si longè ſteteris: abſenti non nocet anguis.
Vel converſari tibi ſi qvandoqve libebit (bæ:
Cum populo, & ſtolidæ interdum te adjungere tur-
In primis ſtudeas moderamina ponere linguæ,
Et cave qvid dicas, ſemperqve libentius audi.
Raro autem loqvere: eſt mentis gravitate carentis
Indicium ſermo nimius, peccatqve freqventer
Multiloqvus: verum parce, cauteqve loqventes
Laudantur: decus eſt ingens prudentis in ore,
Præſentem, abſentemve aliqvem ne læde loqvendo
Hoc ſit præcipuum monitum, ſit regula prima:
Atqve ea ne dicas qvæ nil referre videntur:
Nec verba incaſſum & nulla ratione profundas.
Nam te ridebunt homines, fatuumqve vocabunt.
Verum ſive rogas aliqvem, ſeu fortè roganti
Reſponſurus eris, prius ipſam conſule mentem,
Qvàm vox exiliat: qvæ poſtqvam eſt edita, retro
Haud remeare poteſt, verbum ſemel ore ſoluto
Emiſſum longè neqvit ad ſua clauſtra reverti,
Gratia magna etiam eſt, ſapientum dicta referre.

Atq; loqvendo aliqvos vatum interponere versus,
Interdum exempla, historiis inventa probatis.
Talia namqve solent sermoni inserta decere
Apprimè, modo sint non ab re, idcirco freqventer
Nunc hos, nunc illos opus est evolvere libros:
Atqve ut apes, varios passim decèrpere flores,
Iram pelle procul: tecumqve superbia non sit:
Nam tales homines non possunt prorsus amari,
Verum te mitem, blandumqve ostende: placebis
Omnibus hoc pacto, at si te qvis læserit, ipsum
Ingenio studeas mage qvàm superare furore.
Ingenio vires cedunt, prudentia victrix
Cuncta domat: rabidæ tigres, tumidiqve leones
Mansuescunt arte; arte rates vasta æqvora tranant,
Arte gerit turrim barrus, juga taurus, & arte
Asper eqvus tolerare eqvitem, frænosqve jubetur.
Viribus ingenium moderatur cuncta ministris.
Infirmi & timidi est nimirum, multa minari.
Verbaqve fœmineæ vires sunt, facta viorum,
Dissimulat prudens, fortis tacet, ast ubi venit
Opportuna dies, facienda viriliter audet:
Ergo prius caveas ne qvis tibi jure molestus
Esse qveat: qvod si injustè læderis ab ullo,
Ipsum qvando potes tu contra ulciscere justò.
Sin tibi non licet hoc, inclusum corde dolorem
Dissimula atqve tace, ne deteriora subinde
Damna feras: stultum est hostem irritare potentem,
Atqve malum majus tumidis sibi qværere verbis.
Expectat tempus sapiens, iramqve coërcet:
Sæpè etiam utiliter, cedit placidisqve furentem
Demulcet dictis, & dulcibus allicit hostem
Blanditiis, donec deceptum in retia mittat.
Callidus indomitum pullum sic vincit eqviso,

Sic inſueta bovi ſenſim juga ponit arator,
Sic trahitis Cybeles torvi ſerraca leones.
Sicqve fære tigres Bacchi paretis habenis,
Nimirum magna eſt prudentia, vincere blandè
Atqve animi ad tempus preſſum celare dolorum.
Hoc aliud qvoq; ſervandum eſt qvocunq; manebis
In cœtu, laxes ne turpiter ora cachinnis:
Sed qvum opus eſt, parco, moderatoqve utere riſu.
Nempe eſt invalidæ mentis, capitisqve minuti
Indicium ridere nimis: contra eſſe ſeverum
Semper inhumani eſt animi, fuge cautus utrumqve,
Atqve tene medium: medio ſedet inclyta virtus.
Non volo te ſcurram: ſed, ſi potes, eſto facetus.
Jam videor dixiſſe ſatis, jam juſſa peregi,
Propter qvæ imperio matris deſcendimus ad te.
Nunc tempus remeare monet, locaq; infima mundi
Deſerere, & ſuperas volitando reviſere ſedes.
Unde ego tellurem ſoleo ſpectare freqventer,
Admirans adeo parvam minimamqve videri,
Exiguiqve inſtar pomi pendere rotundam
Aëris in medio, fultam molimine nullo,
Atqve ſuo tantum libratam pondere, cerno
Inde etiam Oceanum totas circumdare terras:
Perqve ipſas flexo, velut anguis, ſerpere curſu
Nerea cœruleum, modici ſub imagine rivi,
Inde Padus, Tanais, Ganges, Hiſterqve videntur
Agrorum foſſæ, qvoties implentur ab imbre.
Qvumqve tua aſpicio, qvamvis ingentia, Nile,
Oſtia, tam longè, ſeptem reor eſſe canales.
Sæpe etiam video telis pugnare coruſcis
Agmina, purpureoq; undantes ſanguine campos:
Et ſtolidos reges bona dum fugitivà ſeqvuntur,
Seqve putant non poſſe mori, diverſa movere

Præ-

Prælia, & inſontes populos opponere morti,
Tradereqve invitis ſpectacula triſtia divis.
Inde etiam mutare locum freta, flumina, fontes,
Aſpicio: fieri valles ex montibus altis,
Inqve altos montes imas conſurgere valles.
Temporis anfractu longo, & nemora alta ſecari
Vomeribus, cultisqve prius ſuccreſcere ſylvas,
Oppida transferri huc illuc, & cuncta novari.
Felix, cui talem ſpeculam contingit habere,
Unde Aſiam mollem videat, Libyenqve ferocem,
Europamqve armis & fertilitate ſuperbam:
Inqve ipſis varias gentes; qvos Carcinus urit
Æthiopas, primoqve Indos ſub ſole jacentes:
Gætulos, Nomadasqve agiles, Cilicasqve rapaces,
Sauromatas, Parthosqve arcu pugnare peritos,
Thuriferos Arabes, Traces, validosqve Arimaſpas,
Hiſpanos, Italos, Gallos, rigidosqve Britannos:
Totqve alios populos, qvos ſuprà qvum rediit ſol,
Aut qvum deceſſit, radiis illuminat infra
Nonne illuc velles conſcendere poſſe, liceret
Hoc ſi mortali cuiqvam: ni ſi membra gravarent
Te tua? ſed nobis tantum conceditur iſtud
Cœlicolis, qvibus eſt concretum ex æthere puro,
Non elementorum primorum pondere corpus:
Unde feras, donec tandem ſit morte ſolutus
Spiritus: interea valeas, jam ſeparor abs te.
Protinus his dictis, me reſpondere parantem
Deſeruit: necnon ventis velocior ipſis.
Digrediens iterum cœleſtia templa petivit.

LIBER QVINTUS.

Synopſis LIBRI V.

Divitias aliaqve corporis bona aſpernatus Poëta, ſolam ſapientiam exoptat, cum animi bona ſolummodo vera bona ſint. Deus vero omnium rerum principium & unicus finis, ſolus ſummum dici bonum meretur. Qva occaſione de miſeria & felicitate humanâ obiter agit. Deinde vitæ conjugalis commoda & incommoda ejusqve neceſſitatem exponit: præcepta connubialia & de educatione liberorum ampliſſima tradit, inter qvæ, ut ſibi a monachis, qvos atro carbone notat, coujuges caveant monet. Medici hic etiam haud ſuperfunctorie vapulant. Tandem illum qvi ſapientiam cum virtute conjunctam acqvirere valet, omne tuliſſe punctum aſſerit.

LEO.

NON ego divitias Arabum, rubrive lapillos
Æqvoris inſignes cupio, nec qvicqvid Iberus
Amne Tagus rutilante vehit, populosve ſuperbos
Sceptrigera domitare manu: non fata dedere
Talia, nec doleo nobis non fata dediſſe.
Nam bonus atqve malus, nullo diſcrimine dives
Eſſe poteſt, auroqve potens; plerumqve videmus
Expartes animi indignos diademate crines
Cingere, ſarranoqve amplè veſtirier oſtro.
Illa mihi vellem mundi concederet auctor
Qvæ nec habere valent pravi, neqve mentis egentes,
Qvæ verũ efficiunt hominem divisqꝫ propinqvum.

Ju-

Jupiter omnipotens, abs te ſapientia qvare
Aut nulli, aut adeo paucis donatur? ubiqve
Formoſos reperire licet, robuſtus ubiqve
Naſcitur, & dives: contrà rariſſima tellus,
Qvi ſapiat, qvenqvam tam vaſto gignit in orbe,
Num melius fortaſſè putas & dignius, eſſe
Stultorum regem ac dominum? nempe illa poteſtas
Nobilior, ſed qva poſiti ſunt nobiliores.
Dignius eſt certè caſtris aut urbibus amplis,
Qvàm ſtabulis aut armentis, gregibusqve præeſſe.
Forſitan hoc facis, ut tibi ſint mortalia ludo
Facta, & habes hominem pro ſcurra, nempe videtur
Vita hominum nihil eſſe aliud qvàm fabula qvæ-
Utqve movet nobis imitatrix ſimia riſum, (dam.
Sic nos cœlicolis, qvoties cervice ſuperba
Ventoſi gradimur, qvoties titubante cerebro
Divitias nimium, nimium affectamus honores,
Spiramusqve acres piperoſis naribus auras,
Grandia jactantes, & grandia multa minantes.
Qvi mimus, qvæ ſcena datur, qvum ſceptra te-
nentem
Atqꝫ coronatum bubonem, aſinumqve verendum
Aſpiciunt alto in ſolio ſublime ſedentem,
Spernentemqve alios omnes, ſit cætera tanqvam
Turba hominum ſine mente pecus: dominumqve
volentem
Dici & adorari, & pedibus ſibi baſia figi?
Nec videt inſanus qvid ſit, qvàm frivolus, & qvam
Turgenti bullæ ſimilis, pappoqve volanti.
Non ego ſum talis, nec prorſus talia curo.
At vos ætherei cives, qvibus eſſe beatis
Contingit ſolis, qvibus eſt æterna voluptas:
Humanas ſi fortè preces attenditis, & ſi

Non penitus miſeros homines avertitis, oro
Egregiam puramqve mihi concedite mentem,
A falſo verum diſcernere qvæ ſciat aptè.
Qvæ bona cognoſcat vera & contraria veris:
Ne ſtultus fugienda ſeqvar, fugiamve ſeqvenda.
Nam ſi mortali cuiqvam licet eſſe beato,
Arbitror hoc pacto fieri me poſſe beatum.
Sed fallor, mecumqve omnes qvi talia credunt.
Nemo etenim felix eſt, aut fuit, aut erit unqvam?
Non ſi poſſideat totum ditiſſimus orbem,
Non ſi plus ſapiat qvàm qvivis natus in orbe.
Sed dubitat fortaſſe aliqvis, niſi pagina præſens
Id firma ratione probet: qvare aſpice libri
Hujus materiam, qvicunqve hoc diſcere qværis,
Qva melius poterunt te carmina noſtra docebunt.
Pandite Pierides veſtro ſacra oſtia vati,
Et ſatiate avidum ſcatebris Parnaſſidos undæ,
Secretos reſerate aditus, oſtendite verum:
Vos etenim noſtis qvicqvid fuit, aut erit aut eſt.
Principio expediam, qvis felix atqve beatus
Debeat à nobis haud falſo nomine dici:
Poſt hoc progrediar, qvo me deducet Apollo.
Dico igitur, ſolus felix eſt jure vocandus
Is qvicunqve bonum ſummum jam poſſidet, at non
Omnes hoc norunt verè, cum qvilibet illud
Qvod ſibi plus placeat, melius putet: hordea mulus
Aut aſinus, pluris qvàm lauti obſonia rhombi,
Qvàm leporis clunes, qvàm turdos æſtimat aſſos
Sic & avarus opes, ſic ambitioſus honores,
Sic Venerem mollis ſuper omnia laudat & optat,
Heu mihi qvàm pauci poſſunt dignoſcere verum!
Qvàm denſa errorum caligine noſtra premuntur
Indicia! id propter, qvod paucis integra mens eſt.

Qvisq; ut habet mores, ita judicat, atqve ita fatur,
Sed bona ſunt qvædam per ſe, qvæ tempore nullo
Eſſe mala, & nullo qvæ tempore lædere poſſunt.
Sunt etiam qvædam non per ſe, qvæ modo proſunt,
Nonnumqvam officiunt: hæc ſunt bona corporis, atqve
Externa, uſus enim cauſa eſt ut ſint bona, vel non.
Ut ſi qvis patriam nativo robore ſervet,
Eſſe bonum robur dicetur: ſed noceat ſi
Indigenis, civesqve ſuos hoc robore perdat:
Eſſe malum rurſus robur cenſebitur ipſum:
Sic de divitiis & honoribus, imperiisqve
Et cunctis aliis dico, qvin talia propter
Sæpe perit, qvamqvam utatur poſſeſſor honeſtè,
Sic obſunt ſua mella apibus, ſic inguina fibro.
Hæc eadem fugiunt rapidi ceu fluminis unda,
Nec ſtant certa diu, dubioqve errore vagantur.
Summa bona idcirco non ſunt: nec qvisqvis abundat
Talibus, eſſe poteſt verè, dicive beatus.
Imo etiam ſi qvis plenè vult vera fateri,
Non bona ſunt, qvæcunq; valent prodeſſe & obeſſe,
Nam ſic eſſe bonum poteris cenſere venenum.
Cum ſæpe ex ipſo fiat medicina ſalubris;
Et nil eſſe malum toto invenietur in orbe,
Cum res nulla adeo ſit prava & noxia, qvæ non
Poſſit prodeſſe interdum, atqve afferre ſalutem.
Illa autem bona qvæ ſunt per ſe & ſemper habentem
Felicem efficiunt: ſed qvæ ſint talia, non eſt
Omnibus explicitum, qvare hic qværenda ſagaci
Sedulitate mihi ſunt, aſpirante Minerva,
Atqvi aliqvis dicet, non res hæc ardua ſcitu eſt:
Nam cum fortunæ non ſint & corporis, ergo

Sunt animi bona, qvæ nos reddunt ſola beatos.
Dictum hoc eſt aliqvid, ſed nondum miſſa ſagitta
Perfectè potuit ſignum tetigiſſe petitum:
Unde prius qvædam communia dicere oportet,
Qvæ monſtrent iter, obſcura ut funalia nocte.
Omne qvod eſt, opus eſt, aut eſt operatio qvædam,
Aut operans: ſed opus qvendam finem eſſe fatemur,
Principium eſt operans, medium eſt operatio: qvod fit
Horum nobilius, meliusve, reqvirere refert.
Omne movens moto, qvantum ſunt talia, ſemper
Dignius eſt: patet hoc, movet autem finis agentem:
Nam qvis agit, niſi finem animo conceperit ante?
Ergo eſt nobilior: nec non operatio fine
Vilior, hac eadem poterit ratione probari.
Proinde bonum ſummum finem qvendam eſſe putandum eſt.
Optimus eſt autem non omnis finis: at ille
Duntaxat, qvisqvis cunctorum eſt ultimus, ad qvem
Omnes procedunt alii recto ordine fines,
Omnia concurrunt in vaſtum flumina pontum·
Qvippe ad perfectum imperfectum tendere par eſt,
Et fieri propter melius qvod deterius ſit:
Non aliter bonus ac rectus ſervabitur ordo.
Ergo id qvod rerum cunctarum eſt ultima finis,
Eximium eſſe bonum, & ſummum, primumqꝫ neceſſe eſt.
Præterea rerum qvas ingens continet orbis
Abſqve anima qvædam ſunt, & viventia qvædam.
Aſt ea qvæ vivunt, aliis ſunt nobiliora.
Vivere proinde opus eſt, qvicqvid laus prima bonorum eſt.

Illorum qvoqve qvæ vivunt, qvædam ratione
Prorsus egent, iisdemqve uti sermone negatum est,
Ast aliis sermone uti ac ratione tributum est.
Nobiliora ideo sunt hæc, sunt & meliora.
Ergo bonum summum perfecto more loqvetur,
Perfectæ rationis erit, compluribus autem
Ex his qvæ possunt uti ratione, loqviqve
Plena voluptatis vita est, sed plena laboris
Est aliis etiam compluribus, aut meliora
Sunt qvæcunqve hilari vita dulciqve fruuntur,
Ergo boni summi lætissima vita putanda est.
Illorum verò qvæ vivunt dulciter, annos
Post paucos pereunt qvædam, sed longa qvibusdam
Fila trahunt parcæ: qvibus est diuturnior ætas,
Pluris erunt: qvare longissima sæcula vivit
Illud, qvodcunqve est cunctorum summa bonorum.
Hoc autem vocitare Deum, vocitare Tonantem,
Atqve Jovem, mortale genus solet; ille tremendo
Cum strepitu vibrat fractis de nubibus ignem:
Ille ciet nigros imbres, & fortia mittit
Flamina, qvæ vastis cum fluctibus Amphitriten
Funditus eversam clamosa ad littora pellant,
Ac terram qvatiant imis inclusa cavernis,
Unde arces qvandoqve ruunt, atqve oppida tota,
Sed fortasse aliqvis dubiat, si Jupiter iste
(Qvem summum esse bonum jam dixi) est finis: eundem
Qvoddam opus esse patet, veluti divisimus antè:
Nec non principium, mediumqꝫ habuisse fatendum est.
Id vero nemo sapiens existimat: imo
Semper erit, semperqve fuit, nec terminus illi

Esse potest: hic cuncta facit, nec factus ab ullo est:
Nil fuit ante ipsum, post ipsum prorsus erit nil.
At nos huic dubio sic respondemus: agentem
Primum, cunctarum rerum, totius & orbis,
Dicimus esse Deum: finemqve putamus eundem
Cunctarum pariter rerum, totius & orbis:
Non tamen idcirco esse opus ipsum credere fas est.
Qvandoqvidem non est opus omnis finis, agensq;
Non hoc præcipuè qværit: sed cogitat ultra
Qviddam aliud melius, veluti qvi fabricat arcam,
Non hanc præcipuè ut faciat fabricando laborat:
Ast ut eam vendat, vel qvicqvam servet in ipsa.
Qvanto est posterior, tanto est præstantior omnis
Finis, & ad melius qvæ sunt pejora feruntur.
Sic Deus est finis postremus & ultimus, in qvem
Omnia contendunt, propter qvem mundus, & omnis
Res mundi: est siqvidem propter se ipse omnia fecit
Non propter nos, ut soliti sunt dicere qvidam,
Clamando in templis doctores stultitiarum,
Et deceptores vulgi, errorumqve magistri,
Insanos homines ex stultis efficientes.
Nam qvæ nobilitas, aut qvæ sapientia nostra est.
Qvæ nostra est probitas, propter qvam condere mundum
Debuerit tantus princeps? nos undiqve pleni
Criminibus, stultiq; sumus: vix unus in orbe est,
Qvem vel avaritiæ pestis, vel fœda libido
Non premat, aut qvem non ventosa superbia vexet,
Qvem non præcipitem trahat ira, aut cæca voluptas
Ergo qvibus meritis nostris motum esse putamus
Tam magnum artificem, ut pro nobis cuncta crearit
Frugiferas terras, fluidum mare, stelliferumqve
Æthe-

Æthera? ſed forſan dices, nos ipſe benignus
Diligit imeritos: ſtultum eſt hoc credere, nam qvis
Diligit immeritos, niſi demens? præterea, qvæ
Sunt tam diſſimilis naturæ, qvomodo poſſunt
Seſe diligere? eſt etenim Deus omnia vivens
Sæcula, cui nullus finis, nulla extat origo:
Cunctarum tamen eſt rerum finisqve & origo:
Optimus: omnipotens, immenſus: qvo melius nil,
Et qvo nil majus, nil excellentius uſqvam
Eſſe poteſt: qvi re nulla indiget, & tamen ipſo
Omnia egent: qvi cuncta videt, nec cernitur ulli:
Omne bonum in ſeſe retinens, experſq; malorum.
Contra nos miſeri fœdo de ſemine nati
Ad planctum & lacrymas, ad mille pericula ſemper
Aut his aut illis morbis affligimur: ævum
Degentes breve & incertum, plenumqve laboris:
Heu qvibus errorum tenebris verſamur: & omnes
Qvàm ſumus exiguæ mentis, qvàm ſæpe malignis
Caſibus impliciti, nunc hæc nunc illa dolemus,
Innumeris tantum vitiis & fraude potentes.
Qvi poſtqvam paſſi fuimus mala plurima, tandem
Anguſtam & miſeram & ſceleratam linqvere vitam
Cogimur, & putri deponere membra ſepulchro,
Mox carne abſumpta fieri ſine nomine pulvis.
Ergo inter nos atqve Deum diſtantia major,
Qvàm ſi collatus fuerit pulex elephanto.
Qvis tam diſtantes nodos conjunget amoris?
Nunqvid amore poteſt elephas cum pulice jungi?
Nempe inter ſimiles amor & concordia, contra
Inter diſſimiles odium & diſcordia regnant,
Vel ſaltem nec magna fides, nec gratia magna eſt.
Hinc aliqvi, qvos eſſe jubet lex noſtra prophanos,
Hæreticoſqve vocans collegia tecta cucullis,

Nos eſſe inſanos ajunt, craſſiqve cerebri,
Speramus qvoniam cælum & conſortia divum,
Æternumqve ævum felici ducere curſu,
Innumerasqve alias nugas: qvas ſtultus hebesqve
Promitit nobis animus, & garrula lingua:
Qvæ facit ut cedant animalia cætera nobis.
Nam ſi ſermo homini non eſſet munere divum
Conceſſus, geminæqve manus, qvibus omnia fiant,
Nullum animal foret in terris miſerum magis atqve
Infelix homine; his noſtra eſt natura duobus
Nobilior, meliorqve: hinc tota ſuperbia noſtra eſt:
Hinc artes veniunt, nam præſens voce monetur,
Qvid faciat caveatve: abſenti ſcripta loqvuntur.
Pandere ſi poſſent animalia cætera fando
Ut nos, arcano clauſos in pectore motus,
Mutuaqve inter ſe dictare & reddere verba
Ac varios aptis digitis con ſcribere libros:
Interdum nobis ſapientior eſſet aſellus,
Plusqve aliæ interdum pecudes rationis haberent,
Progeniemqve ſuam auderent præponere cunctis:
Diceret & nobis aſinus ſe nobiliorem.
Lingua manusqve igitur faciunt ſuccumbere nobis
Omnia, non ratio: hæc ajunt illi; inſuper addunt,
Si truncis manibus, mutisqve parentibus orti,
In ſilvis homines degant, agrisqve remotis,
Sintqve ipſi pariter manibus linguaqve carentes
Ut pecudes aliæ: humanum qvid qvæſo valebit
Ingenium; qvænam ratio apparebit in illis?
Nonne aliæ ut pecudes inculto corpore vivent?
Qvid ſapient melius qvàm cætera turba ferarum?
Spiritus in cunctis animalibus unus & idem eſt:
Diſſimilis tamen ac varius proinde eſſe videtur.

Cor-

Corpora qvod non sunt cunctis animalibus æqva,
Et variis membris varia est concessa facultas,
Sic pluris fabri licet inveniantur eadem
Prorsus in arte pares, atqve æqvo examine docti.
Si ferramentis careat pars altera, multum
Dissimiles, multum inter se differe videntur.
Nil etenim poterunt agere hi qvibus omnia desunt
Qvæ faciunt ad opus: nec secum saxa ferasqve
Oeagrius vates ducet, si barbitos absit:
Nec Paris armatus Pelidæ cedet inermi.
Talibus ergo illi nos turpiter argumentis
Sollicitant: verum hæc alias fortasse reqviram,
Qvum de anima humana fuerit qvandoq; loqvendum.
Qvippe hanc divinam, immortalemq; esse docebo,
Qvæ duo de brutis non est concedere tutum.
Nunc ad iter primũ redeo: Deus ipse supremum est,
Eximiumqve bonum propriè vereqve vocandus:
Qvem qvi habet, is debet felix dici atqve beatus.
Sed qvis habere potest ipsum? nam qvicqvid habetur
Vilius est illo qvod habet, possessaqve res est
Possessore suo semper minor, ocyus omnem
Oceanum parva poteris concludere concha,
(O mortale lutum, ventisqve objecta lucerna)
Qvàm tantum Dominum pacto complectier ullo,
Omnia solus habet Deus ipse, & solus habet se:
Ipse igitur solus felix, solusqve beatus.
Qvoddam aliud tamen est sum̃um bonum, & illud habere
Omne potest animal: sed non est omnibus unum:
Nam diversa ipsis multum natura tributa est.
Convenit hoc illis, aliis aliqvid magis, ergo

Eſſe poteſt felix genus unumqvodqve animantum:
Si non ſimpliciter, perfecteqve, ut Deus ipſe,
Aſt aliqvo ſaltem pacto, paucisqve diebus,
Dum poſſit qvod conveniat ſibi maximè, habere
Semper: & adverſi nihil unqvam perpetiatur.
Sed miſſis aliis, de homine eſt nunc dicere tempus:
Qvi tunc eſt felix qvum poſſidet omnia qvæ ſunt
Naturæ ipſius bona convenientia, qvumqve
Nil damni tota in vita, nil ſentit acerbi. (eſt
Hoc etenim eſſe bonum ſummum, concedere fas
Qvod bona cuncta in ſe complectitur, & mala pellit
Omnia, cui nil triſte datur, nil dulce negatur.
Nam virtus ſola, aut ſelicem ſola voluptas,
Non facit, ut qvidam ſcribunt de gente Pelaſga.
Qvandoqvidem bona multa ſimul meliora putan-
tur,
Qvàm pauca, ut grano frumenti magnus acervus.
Non unum, licet eximium, primumqve beatos
Reddit: at omne bonum ſimul omni ex parte ro-
tundum.
Sic etiam ſolus princeps non efficit urbem,
Sic etiam non eſt ex ſolo pollice dextra.
Cum nobis igitur duo ſint, corpusqve animusqve
Qvi verè eſt felix, parte eſt perfectus utraqve.
Eſt agilis, pulcher, robuſtus, ſanus, & idem
Eſt ſapiens, fortis, prudens, doctusqve, bonusqve,
Perfectosqve tenet ſenſus, perfectaqve mentis
Munera, pauperiem neſcit, caſusqve malignos:
Et ſi non implet longævæ tempora vitæ:
Non eſt dicendus felix, licet omnia ſint huic
Commoda, namq; bonum parvo qvod tempore
durat,
Eſt prope nil, veluti qvidam dixere priores:

Ver non una dies, non una reducit hirundo.
At poſtqvam vitæ jam meta noviſſima venit,
Mors huic contingit facilis, minimoqve dolore
Solvitur, & ſtygias lætus deſcendit ad undas,
Nec vivendo illi aut moriendo gloria deſit.
Sed numqvid cuncta hæc habet ex mortalibus ullus?
Credo eqvidem nullum talem reperirier uſqvam,
Aut perqvam rarum, cui nil optabile deſit,
Cui nil triſte unqvam toto contingat in ævo,
Qvi felix vivat, felici morte recedat.
Hic Phœnix ille eſt, qvem fingere Græculus audet,
Græculus inſani capitis, qvi poſſe putavit
Ex uno ſpeciem fieri, putremqve favillam
Gignere avem, cuiqvam non ullo tempore viſam.
Sed modo mira canat, nil curat dicere verum
Gens hæc, & tota eſt monſtris ac dedita nugis:
Qva duce noſtri etiam deliravere Latini.
Eſt igitur felix, ut Phœnix rarus: at omnes
Heu ſumus haud dubiè miſeri, tamen hic magis illo
Qvandoqvidem non eſt cunctis ſtatus unus, & æqva
Conditio: qvicunqve tenet, bona plura, minusqve
Adverſi patitur, felix cenſetur: at ille
Plurima qvem verſant incommoda, cui bona pauca
Contingunt, miſeri nomen ſibi vendicat aptè.
Qvare cum nemo ſit felix, dicere oportet,
Qvomodo poſſimus ſaltem miſeri minus eſſe
In terris, qvæ ſit vivendi forma modusqve
Nobilior, meliorqve, & vitæ blandior uſus:
Si non felices, ſaltem minus infelices
Qvo fieri pacto liceat nobis: igitur qvod
Fermè omnes credunt, verum non arbitror eſſe;
Pontifices ſummos, & mundi ſceptra tenentes,
Vive-

Vivere qvàm reliqvi mortales dulcius ævum.
Namqve in divitiis veluti in cunctis qvoqve rebus,
Extremũ qvodcunqꝫ malum eſt, mediumqꝫ ſalubre
Omne nocet nimium: propter qvod qviſqvis habet
plus
Qvàm ſatis eſt, non eſt melior qvam qviſqvis eget
plus
Qvàm ſatis eſt, paribusqve malis vexatur uterqve:
Ut pinguis craſſusqve nimis, qvi ſeſqvipedali
Ventre tumet, non eſt levior, citiusqve movetur,
Qvàm cui ſicca cutis miſeris tantùm oſſibus hæret,
Huic deſunt macie atqve exhauſto corpore vires,
Ille autem nimio fit carnis pondere tardus.
Utqve ingens pelagus ſurgit majoribus undis,
Exelſosqve æqvat montes dum tartara Ditis
Ima aperit fluctus inter, tamen atra ſilenti
Gurgite ſævit hyems, taciteqꝫ profundius æqvor,
Sed magis à dita ventorum peſte movetur:
Contra cum ſtrepitu magno, multoqve fragore
Parvus arenoſo verſatur littore Nereus;
Sic qvi ſumma tenent rerum faſtigia reges,
Sollicitudinibus majoribus atqve tumultu
Jactantur graviore qvidem: ſed vulnera vulgo
Tanta latent, tacitiqve gemunt, celantqve dolorem,
Adde aliud qvoqve, qvod cruciat comes improbus
ipſos
Aſſiduè, metus atqve timor: ſuſpectaqve eiſdem
Omnia ſunt: hinc inſidias, hinc dira venena
Concipiunt, ſoli nec poſſunt ire, nec audent,
Nec ſine fas illis prægustatore comeſſe.
O bona libertas, pretio pretioſior omni!
O ſum̃um primumqve decus: qva prorſus ademta
Nil gratum, nil dulce viris, & vivere mors eſt!

Aſt pauper nocte atqve die ſecurus ubiqve.
Et qvo fert animus graditur, ſive ire per urbem,
Et varios luſtràre locos, & cernere ludos,
Aut monumenta cupit: ſive extra mœnia mavult,
Per cultos hortos, per florida prata vagari,
Aut deſiderio ruris torqvetur amœni,
Nil prohibet, ſolus vadit, non indiget ullo
Servorũ ſtrepitu, & comitantum nube clientum:
Et qvoties ſtimulis agitur famis & ſitis, ore
Haud dubio tutusqve dapes ac pocula ſumit.
Vilibus exiguisqve cibis veſcuntur in altis
Liberæ aves melius ſilvis: & dulcius eſcam
Qvæſitam in campis, multoqve labore paratam
Accipiunt, qvám ſi cavea teneantur eburnea,
Aut in gemmato atqve aurato carcere clauſæ
Pingueſcant epulis regalibus, uberibusqve.
Sæpe igitur miſer atqve infelix eſt etiam rex,
Nec qvenqvam, mihi crede, facit diadema beatũ.
Sed ſtulti exterius dulce admirantur: at illud
Qvod latet interius non contemplantur amari.
Illum autem vitam meliori ducere curſu
Arbitror, eſt cuicunq; magis fortuna modeſta,
Cui non eſt cenſus nimius, nec ſordidus, & cui
Non conducta domus, ſed honeſta habitatur: a-
gerqve eſt,
Qvantus ſufficiat domino bene cultus abundè,
Qvi det hero ſegetes, & vinum ſufficienter.
Fertilis, atqve alias fruges producat inemptas.
Fœnerat ô qvantum tellus bene culta! colonus
Sedulus ac prudens, non multis rebus egebit.
Plurima ſeu ſcrobibus longo ordine figitur arbos,
Diverſi generis, minimo qvæ maxima ſumptu
Emolumenta ferat: varium ſeu forte legumen
Man-

Mandatum ſulcis, cumulo majore refertur:
Seu magis hortorum delectat cura, laborqve,
Ex qvorum reditu convivia lauta parantur,
Nec regum menſis cedentia luxurioſis:
Ni ſervire gulæ qvis mavult qvam rationi.
Ergo eſt optandus potius ſenſus mediocris,
Qvem vel ſors tribuat, vel teſtamenta, vel uxor,
Aut artis labor aſſiduæ: aut induſtria mentis
Sollicitæ, mercando aliqvid qvod tempore poſſit
Vendi alio, aut alibi pluris: vel multiplicando
Per ſobolem pecus, & gregibus ſtabula atqve armentis
Implendo, aut Paphiis ſublimia tecta columbis,
Melliferisve apibus præſepia multa perando,
Aut ſtatuendo oleis nigris brumale trapetum,
Aut etiam Cereri ſaxa opportuna terendæ.
His aliisqve modis multis ſollertia lucrum
Illis oſtendit, qvi non torpere veterno
Sunt ſoliti, qvos dulce malum, blandumqꝫ venenum
Deſidia, atqve animi languor non reddit inertes.
Præcipuè tamen hoc fortunæ munus opusqve eſt,
Hæc etenim qvos vult facilè evehit, ac locupletat,
Hæc domina eſt rerum, & donatrix divitiarum.
Inſuper optandum, nulli ſervire: decet nil
Libertatem agis generoſum pectus, at ille
Natura eſt ſervus, natura ignobilis, imò
Infelix, prorſus, prorſus miſer, alterius qvi
Eſſe poteſt, ultroqve aliena faceſſere juſſa:
Et qvicunqve aliqva lucri ſpe ductus, iniqvum
Fert placida cervice jugum, non jugera tanti
Plurima ſunt, non omne aurum, non qvicqvid arenis
Indus Erythreis cupidus legit, ut patienter
Vel ſtomacho alterius comedas, capiasve qvietem
Ad

Ad ſomnum alterius, dominoqve jubente feraris
Nunc huc, nunc illuc, veluti pila miſſus ab illo:
Interdumqve homines te longè deterioris,
Indocti, inſani, vinoſi, luxurioſi,
Imperio parere velis, turpiſſima res eſt
Nimirum, poſſis cum liber vivere parvo,
Qværere ſervitio majoris præmia cenſus:
Ac libertatem, ſine qva laudabile nil eſt,
Vendere, & imperium domini tolerare ſuperbi.
Degeneres animi, procerum qvid qværitis aulas,
Dedecus ut vobis, illis tribuatis honorem?
Væ vobis, qvi ceu pecudes paſtoris egetis,
Tam viles, ut non valeatis vivere per vos.
Qvi ſervus qvocunq; modo eſt, nulla eſſe beatus
Parte poteſt, aſini eſt, clitellam ferre libenter.
Ingenuis igitur qvicunqve parentibus ortus,
Nobilibusve magis, qvantum ſibi ſufficit aptè
Poſſidet, injuſtè qveritur de numine divum.
Sed forſan multi dubitent an cœlibe vita
Conjugium melius: namqve uxor ſæpe ſuperba eſt,
Litigioſa, ferox, demens, & adultera ſæpe.
Adde qvod & gravis eſt natorum ſollicitudo:
Nunc morbo ancipiti languent, nunc lumina vitæ
Intempeſtivo ſublati funere linqvunt:
Filia jam grandis poſcit cum dote maritùm:
Vel mœcha eſt, maculatq; domum: vel filius eſt fur,
Scortator, vacui capitis, rixoſus & effrons,
Ille etiam penitus liber non eſſe videtur
Cuicunqve eſt uxor, mores mutare neceſſe eſt,
Et juvenilem animum compeſcere, linqvere lites,
Stare domi, non ire procul, longinqva videre
Oppida, nec tota per vicos nocte vagari,
Has illas pulſando fores, & ſcorta petendo.

Aſt

Aſt opus eſt gravius tunc vivere, ſolliciteqve
Rem curare, minor ne fiat, ſed mage creſcat:
Ne premat extremam paupertas dura ſenectam.
Hæc qvamvis ità ſint, melius tamen arbitror eſſe
Qværere legitimas tædas, ſanctosqve hymenæos,
Naturamqve ſeqvi, qvæ nobis provida monſtrat
Exemplo volucrum, pecuudm, pariterqve ferarum,
Qvod mas ad prolem jungit cum fœmina habendam,
Atqve manere ſimul debet, ſobolemqve creatam
Enutrire ſimul juſto placidoqve labore.
Ne genus intereat, ſed cuncta in ſæcula duret.
Qvandoqvidem ad Venerem compellimur exercendam
Non modò nos, verum omne animal, terræqve marisqve
Naturæ imperio: facias pejora neceſſe eſt,
Si non fœminei ſorberis ab ore barathri.
Præterea tandem ſterilis morieris, & hæres
Parta labote tuo & ſudore alienus habebit:
Cumqve ſenex fueris, aut morbo oppreſſus iniqvo,
Qvis tibi ſuccurret? vel qvis tua damna levabit?
Nunqvid cognatus, vel frater? nunqvid amicus?
Hi te ſandapila mallent efferre repoſtum,
Resqve tuas avidi expectant ſibi morte referri:
Te captant vivum, ut poſſint ſpoliare ſepultum:
Nummos qvisqve tuos, non te reveretur, amatqve,
O ſcelus, ò rabies, & habendi infanda cupido!
O miſeranda lues totum diffuſa per orbem!
Utile nunc omnes ſpreta virtute ſeqvuntur.
Qvis juſtum curat? qvis non contemnit honeſtũ?
Sit modò ſpes lucri? dominatur legibus aurum,
Auri majores vires qvàm ſanguinis, auro

Vena-

Venalis pudor atqve fides, cultusq; deorum eſt.
Aſt uxor patrem, ac matrem, propriosqve penates
Deſerit, ut maneat tecum noctesqve diesqve,
Et pariat fœcunda tuo de ſemine prolem,
Conſtituatqve novam tecum gentemq; domumq;
Sitqve tibi auxilio, & ſimul obſeqvioſa laboret:
Ambobus com̃une bonum eſt, com̃une periclum:
Alterutri qvicquid damno eſt, utriqve nocebit:
Alterutri qvicqvid lucro eſt, utriqve placebit.
Si te debilitat morbus, vel grandior ætas,
Fatur, & hortatur, ſolatur, & auxiliatur,
Subvenit, aſſiſtit, vigilat, vigilando miniſtrat:
Hoc etiam faciunt nati, charumqve parentem
Qva poſſunt ratione fovent, communis enim ſunt
Amborum commixta caro, communis imago.
Qvumqve dies venit, poſt qvam tibi nulla dies eſt,
Non totus moreris, vivusqve videris in illis.
Sed malunt qvidam incertos de pellice natos
Sumere, propterea qve uxorem ducere nolunt:
Hos ego non laudo, nec ſanæ judico mentis.
Namqve uxor te dote juvat, nil dat tibi pellex:
Uxoris ſunt affines, ſunt pellicis hoſtes:
Illam tutus habes, & honeſtè, hanc turpiter atqve
Sollicitè: fida eſt illa, hæc infida, timensqve
Diſſidium, rapit occulte, ſibi congregat, unde
Si fuerit dimiſſa, qveat poſt vivere; demum
Si tibi ſit pellex, tibi erit non tuta ſuppellex.
Qvid qvod legitimos certosqve ex conjuge natos,
Infames dubiosqve nothos de pellice gignis?
Ergo uxor ducenda, prius tamen aſpice qvæ ſit.
Præcipuè matris mores adverte, patrisqve
Nam ſimiles fiunt nati pleruniqve parentum:
Qvalis qvæqve arbos, tales ſolet edere fructus.

Conſule vicinas clam, vel tibi ſi qva fidelis
Eſt mulier, mitte ut videat, ſed diſſimulanter,
An ſit formoſa, an vitiato corpore & ægro,
An ſit iners, nec nere ſciat, nec texere telam,
Nec ſuere. Hæc etenim mulier qvæcunqve pudica
Exercet, ne ignava domi, neu languida ceſſet.
Otium enim fomes vitiorum eſt, otia mentem
Ad mala multa trahunt, otii comes ipſa libido eſt,
O tia felices evertunt funditus urbes.
Qvod niſi lanarum ſtudio Lucretia qvondam
Dedita, ſi telæ non Penelopea fuiſſet,
Sed pigræ mediis ſediſſent ædibus ambæ,
Huic de mille procis placuiſſet forſitan unus,
Illi non tantum laudis mors caſta dediſſet.
At melius ſi fortè potes, tute iſta videbis.
Namq; aliis non certa fides: ferme omnibus eſt mos
Fallere, mentiri, potius qvàm dicere verum,
Cuiqve placet: raros poteris reperire fideles,
Si non vis falli, ſi vis tibi creſcere cuncta
Et curare tuas, tuaqve impiget omnia cernet,
In melius, ſtudeas res ipſe agnoſcere præſens,
Et curare tuas, tuaqve impiget omnia cerne,
Ergo iterum atqve iterum videas (ſi forte licebit)
Qvæ ſit qvam tibi vis vinclo ſociare jugali,
Ne fruſtra doleas, ne facti pœniteat te.
Si tamen (ut fieri contingit) conjuge prava
Mœres, deceptus fato, & Junone ſiniſtra:
Hanc blandè prius admoneas, placidisq; freqventer
Caſtiges verbis, interdum munere placa
Iratam, illecebrisqve doma: nunc brachia collo
Injice: nunc etiam invitæ blanda oſcula fige.
Qvoqve potes conare modo ſedare furorem
Dulciter: hoc ſi non prodeſt, tunc utere amaro.

Suc-

Succenſe, inclama, & vultu convicia torvo
Adde, minisqve ſimul terre: qvod ſi minus iſta
Sufficiunt, nec verba timet, tu verbera miſce,
Tergaqve tunc duro reſonent pulſata bacillo,
Si tibi ſuſpecta eſt uxor, dubiiqve pudoris.
Non habeas pulchros famulos, pulchrosve ſodales,
Cum qvibus illa domi verſetur; deciperis nam
Si qvenqvam fidum credas, eſt nemo fidelis
In Venere: illa dolis incautos fallere gaudet.
Fraude paratur amor, Veneri gratiſſimà fraus eſt,
Sed tua præcipuè non intret limina qvisqvam
Frater, vel monachus, vel qvavis lege ſacerdos:
Hos fuge: peſtis enim nulla hac immanior: hi ſunt
Fax hominum, fons ſtultitiæ, ſentina malorum,
Agnorum ſub pelle lupi, mercede colentes
Non pietate Deum, falſa ſub imagine recti
Decipiunt ſtolidos, ac relligionis in umbra
Mille actus vetitos, & mille piacula condunt,
Raptores, mœchi, puerorum corruptores,
Luxuriæ atqve gulæ famuli: cæleſtia vendunt.
Heu qvas non nugas, qvæ non miracula fingunt,
Ut vulgus fallant, optataqve præmia carpant?
Inde ſuperſtitio, & ludibria plurima manant:
Qvæ dii, ſi ſapiunt, rident, renuuntqve videre,
Non pretio, ſed amore, Deum vir juſtus adorat.
Deme autem lucrum, ſuperos & ſacra negabunt.
Ergo ſibi, non cælicolis, hæc turba miniſtrat;
Utilitas facit eſſe deos: qva nempe remota,
Templa ruent, nec erunt aræ, nec Juppiter ullus,
Hos impoſtores igitur, vulpesqve doloſas,
Pelle procul: qvantumqve licet tua janua vitet,
Pelle procul, ne te probitas ſimulata maritum

Caprarum efficiat: nec ſi tibi compater ullus
Contingit, nimium confidas: namqve ſub iſto
Nomine peccandi proclivior eſt via multis.
Hoc etiam ſerva, ne ſæpius egrediatur
Sola domum, neu tecta adeat vicina: freqventer
Vicini latitare domo conſuevit adulter.
Illi da comites caſtas, vitæqve probatæ:
Infames vetulas, & lenas cautus avaras
Secum ſtare veta, longeqve arcebis ab illà.
Nec tu aliam Venerem atqve aliena cubilia qværas,
Nec te concubitus delectet pellicis, eſt nil
Qvo doleat magis, ac vehementius excrucietur,
Qvod magis ulciſci cupiat, qvàm fœdera lecti
Inſtabili temerata fide: tunc ardet & odit.
Fallere tunc vellet ſimili ratione maritum:
Siqve poteſt fallit, bilis tunc maxima fervet:
Tunc furit, ut Thyas nimio ſtimulata Lyæo.
Crede mihi: rara eſt qvæ non ſit adultera, qvando
Legitimo fraudata thoro ſua gaudia perdit:
Saltem animo, ſi non conceſſum eſt corpore, peccat,
Labitur in vitium vitio irritata voluntas.
Si deprenſa tamen fuerit, tunc legibus uti
Ne pudeat, legum tibi ſit reverentia ſemper,
Præcipua eſt etenim noſtræ lex regula vitæ.
Ne temere iratus majorem crimine pœnam
Infligas, lædasqve Deum, vulgiqve ſeqvaris
Ingenium & mores: qvi non ratione movetur,
Sed veluti pecudes furiis atqve impete ſertur.
Nec ducta uxore idcirco non liber haberis.
Qvod tibi non licet eſſe malo, neqve nocte vagari
Nec multis aliis rationibus inſanire.
Non hæc libertas, ſed prava licentia dici
Debet: qvi ſic eſt liber, ſervire videtur.

Talis

Talis libertas non est cupienda, freqventer
In mala præcipitem qvam plurima mittit haben-
tem.
Est melius, non posse malum, committere, qvàm si
Undiqve peccandi pateat via, qvot perierunt
Ob talem libertatem? qvot sæpe fuerunt
Incolumes, qvoniam frænos habuere tenaces?
Si vero nati morbo vexantur ab ullo,
Qvid facias? cur te crucies? succurre medelis.
Qvæ si nil prosunt, & mors tibi surripit illos,
Æqvo animo sufferre velis: non solus in isto
Gurgite jactaris, comitum tibi maxima turba est.
Qvæ mala cum multis patimur, leviora videntur,
Nascimur hac omnes lege ut moriamur: ab ortu
Exitus ipse fluit; cunctis mensura dierum
Certa datur, stygias citus vel serius undas
Qvisqve petet, qvanqvam mors ultima meta ma-
lorum est,
Nec forti metuenda viro, qvid munere vitæ
Defunctos tantis opus est deflere qverelis?
Estne adeo miserum moriendo relinqvere mundi
Stultitiam, & sese innumeris auferre periclis,
Proqꝫ tot ærumnis, tranqvillam acqvirere pacem
Aut mors est æterna qvies, aut janua vitæ:
Esto etenim doleas qvantumvis, tempore tandem
Cessabunt lacrymæ & gemitus, qvemcunqve dolo-
Finit longa dies, dissolvunt tempora curas. (rem
Si tibi lascivi, aut alia ratione pudendi
Contingunt nati, tu tu culpandus, & hujus
Causa mali es demens pater, & qvatiendo flagellis,
Qvi pueros neglexisti, nec moribus, ætas
Dum mollis poterat flecti, faciliqve labore
institui, mondum vitiorum adstricta catenis,

Curaſti imbuere,& virtutibus exornare:
Neglectis animis, aluiſti corpora tantum,
Ut pecudes faciunt, hinc eſt urtica, ſilixqve,
Et caprificus iners, qvibus urbs nunc omnis abundat,
Qviſqve illos mores, qvos primis hauſit ab annis
Cum ſenuit retinere ſolet: peccabit adultus,
Si puer hoc fecit, tenera eſt dum virga recensqve,
Flectitur huc illuc, ut vis: qvæ poſt ubi crevit
Jam robuſta arbor, flectenti cedere neſcit,
Et qvem parva locum tenuit, non deſerit ultra.
Sic puer ad vitæ partem eſt qvamcunqve paratus
Dum tener eſt animus qvi poſtqvam duruit ævo,
Qvam prius ire viam aſſuevit, mutare recuſat.
Nimirum qvicqvid primis inolevit ab annis,
Non facilè aufertur, naturam parturit uſu.
Ipſaqve non multo eſt natura potentior uſus,
Optandum tamen ut tribuant bona ſemina divi
Incluſis utero: nam qvalis qvilibet illic
Concipitur, talis vivendo eſt: qvi malus inde
Exierit, raro poterit juſtusqve bonusqve
Eſſe: licet doceat ſanctos academia mores,
Et licet hinc atqve hinc habeantur mille magiſtri,
Naturam frænare potes, ſed vincere nunqvam.
Cultura eſt etenim natura potentior omni,
Nonnihil ipſa tamen longo mollitur ab uſu.
Sic cultu aſſiduo ſteriles compeſcimus agros,
Sicqve feri diſcunt homini parere leones.
Omnis ab aſſiduo nimirum ars naſcitur uſu.
Ergo dum mollis, dumqve eſt tractabilis ætas,
Inſtrue filiolos virtutibus,& doce honeſtas
Maturare vias, nec eos permitte vagàri
Huc illuc, qvocunqve volunt, res pernicioſa eſt

Libertas pueris: tu ſi ſapis, admove fræнos
Et cohibe: namqve in vitium mortalia qvæqve
Naturæ inſtinctu, niſi ſint adjuta labore
Sponte ruunt: nil perfectum natura ſine arte
Ferre ſolet: qvoniam non vult Deus ipſe veterno
Nos torpere gravi, ſed curis atqve labore
Excitat, & ſegnes tanqvam calcaribus urget.
Eſt locus ætherei prærupto in vertice montis,
Deliciis plenus, qvo non felicior alter
Creditur eſſe uſqvam, cui cedunt Theſſala Tempe,
Elyſiiqve lares, & fortunata vireta:
Hic habitat vicina polo, conterminaqve aſtris,
Innumerisqve bonis fruitur ſanctiſſima virtus:
Sed ſalebroſa via eſt, anguſta, atqve ardua, denſis
Setibus hinc atqve hinc horrens, qvo tendere viles
Ignaviqve animi, & terrena fæce gravati
Haud poſſunt, ſurſumqve vehit mens ignea paucos,
Qvos Deus ad cæli ſedes elegit habendas.
Difficiles aditus virtus habet: at vitiorum
Prona via eſt, illic ultro deſcendimus omnes.
Qvocicra qvicunqve bonam, nullaqve pigendam
Parte cupit prolem, multum inſtituendo laboret,
Non etenim fieri egregium ac memorabile qvicqvam
Absqve labore poteſt; vis eſt immenſa laboris
Aſſidui, longusqve labor dura omnia vincit.
Curandum in primis, vobis dico patribus, ne
Filioli veſtri cum pravis converſentur'
Conſuetudo poteſt qvoſcunq; inducere mores;
Corrumpunt etiam ſanctos commercia prava:
Vitent præcipuè juvenes: nam prona juventus
In qvodcunqve malum eſt: ſemperqve obſcœna loqvuntur

Inter ſe juvenes & ſemper turpia verſant.
Luxuriæ tota eſt hæc ætas dedita: qvare
Ne juvenum celebrent cœtus, omnino caveto,
Tu, cuicunqve bonam mens eſt educere prolem:
Corripe nunc verbis duris, nunc utere virga,
Si ſit opus, monſtraqꝫ viam, qva incedere oportet:
Nec faveas illis, patriumqve iratus amorem
Diſſimula ſemper: nil pernicioſius eſt qvàm
Blandiri pueris: animos ad crimina ſumunt:
Tunc nil non audent qvùm tu qvæcunqꝫ loqvuntur
Vera putas: aſinusqve bipes oracula credis,
Ac nimis indulges, veſano captus amore.
Damnoſus favor eſt pueris, ſoloqve timore.
Non ratione ſcelus fugiunt: peccantqve libenter
Ac promptè, ſi non duris cohibentur habenis.
Ut ſæpe in vitium nullo impellente labaſcunt:
Sic raro à vitiis nullo revocante recedunt:
Qvales qvisqve ſibi natos eduxit, habebit.
Ultra hæc nitendum, ut vivamus corpore ſano:
Qvippe valetudo eſt cenſu præſtantior omni.
Robuſtus foſſor rege eſt felicior ægro.
Scire igitur cauſas debes prius unde fluant tot
Agmina morborum, humanum vexantia corpus.
Perceptis etenim cauſis, vitare malignos
Effectus poteris melius: cauſisqve remotis
Effectus pereuunt, qvicunqve ſeqvuntur ab illis,
Ergo morborum qvorundam cauſa & origo
Natura eſt, qvoties ſub iniqvo ſidere qvisqvam
Naſcitur, atqve in ſe cœli tormenta recepit:
Vel qvum corrupto de ſemine gignitur: ipſi
Sunt cauſa ægrorum natorum ſæpe parentes,
Qvum malè diſpoſiti coëunt, nec ſanguine puro.
Sunt aliæ plures cauſæ, reqviesqve, laborqve,

Et calor, & frigus,ſomnus,cibus,ac Venus: horum
Singula debilitant vires,atqve artubus obſunt,
Utimur hisqvoties nimium, nimiumve caremus.
Utrumq; extremum damno eſt, uſus mediocris
Non nocet, imo etiam prodeſt, vitamqve tuetur.
Immodici affectus animi qvoqve gignere morbos
Conſuerunt,nimiusqve timor, mœtorq; dolorqve,
Lætitia interdum nimia officit, interimitqve,
Si ſit habenda fides ſcripturis hiſtoricorum.
Noxius eſt aër: eſt noxius humor aqvai
Corporibus, qvando vitium contraxit uterqve.
Hinc peſtes ſubeunt, hinc viſcera diſcruciantur.
Communisqve lues dat plurima corpora morti,
Affert nonnullos etiam contagio morbos,
Et rixæ, & caſus, & mille pericula vitæ.
Hos igitur fontes, hæc fundamenta malorum,
Si ſanus vis eſſe, omni ratione caveto.
Si tamen ægrotas, qvoniam ægrotare neceſſe eſt
Nonnunqvam, qvid ages? non tu medicamina differ,
Sed cito curam adhibe, tenuis dum morbus adhuc non
Aſſumpſit vires, nec ineſt penetralibus hoſtis.
Ignis ab exigua naſcens extinguitur unda:
Seq poſtqvam crevit, volitantq; ad ſidera flammæ.
Vix putei, fontes, fluvii ſuccurrere poſſunt.
Ergo feſtina morbi cognoſcere cauſam:
Utqve illi facilè occurras, contraria ſume.
Oppoſita oppoſitis curantur: frigora ſi te
Læſerunt, calida opponas: ſi cura, laborqve,
Sive cibus nimius nocuit, contraria ſemper
Exerce, hæc ſeſe expellunt perimuntqve viciſſim,
Conſule item,ſi opus eſt,medicum, vel clinicus ille,

Vel ſit chirurgus, chirurgi certior eſt ars
Nam qvid agat certum eſt, & aperta luce videtur:
Clinicus ipſe autem, (qvi nunc phyſicus qvoqve fertur,
Dum lotium infelix ſpectans, inde omnia captat,
Dum tentat pulſum venæ, dum ſtercora verſat,
Fallitur & fallit: ſed non diſcriminis æqva
Conditio: ille miſer moritur, cauſamqve canendi
Linigeris raſis præbet, calvisqve cucullis:
Hic alius contra ſceleris mercede recepta.
Cauſatur ſuperos, ac fatis imputat ipſis
Si qvis obit, lætusqve implet multo ære crumenam,
Heu mihi, pænè omnes caſu, non arte medentur:
Qvippe aliqvam qvicunq; artem benè novit, agendo
Aut nunqvam, aut ſaltem, rarò peccabit: at iſti,
De qvibus eſt ſermo, de centum vix erit unus
Qvem ſanare qveant, qvem non fortaſſe trucident.
Unde iſtud? niſi qvòd pars horum maxima neſcit
Qvid faciat, qvid ſit prorſus medicina: ſed ipſi
Dum tantum incumbunt ſophiæ, & dialectica diſcunt
Vincla, qvibus valeant indoctum flectere vulgus,
Vix elementa artis medicæ & primordia libant.
Sic labyrinthæis ambagibus ad ſua tecta
Inſtructi redeunt: atqve enthymemata vibrant:
Hinc tumidi incedunt, hinc publica præmia poſcunt:
Id ſatis eſſe putant (nec decipiuntur) ad hoc, ut
Carnifices hominum ſub honeſto nomine fiant,
O miſeræ leges, qvæ talia crimina fertis!
O cæci reges qvi rem non cernitis iſtam!
Vos qvibus imperium eſt, qvi mundi fræna tenetis,
Ne

Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem,
Conſulite humano generi: qvot nocte dieqve
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?
Vel perfectè artem diſcant, vel non medeantur.
Nam ſi aliæ peccant artes, tolerabile certè eſt:
Hæc verò niſi ſit perfecta, eſt plena pericli,
Et ſævit tanqvam occulta atqve domeſtica peſtis.
Non multum eſt igitur tutum his committere ſeſe
Qvorum doctrina eſt, pretioſa in veſte videri,
Gemmatoqve auro digitos ornare cynædos.
Aſt hoc qvod dicam, ut valeas, ſervare memento:
Sit victus tibi cura tui, ne noxia ſumas,
Neve nimis comedas, ſolet hoc mortalibus eſſe
Maxima pernicies, hinc plurimus ingemit æger.
Præſertim hoc caveas, tanqvam lethale venenum,
Ne novus in ſtomachum cibus intret, ſi bene nondum
Conſumptus fuerit prior, & digeſtus ad unguem.
Nec non qvaqve die, juſto excerceto labore
Corpus, vel pedibus gradiendo, vel qvid agendo,
Qvo moti caleant artus: nam cauſa caloris
Eſt motus, ſtomachumq; juvat, roburqve reducit,
Humoresqve ſupervacuos, putresqve reſolvit:
Noli etiam juſta vitam fraudare qviete.
Corporis inſtaurat ſomnus vires animiqve:
At vigilando nimis, corpus corrumpitur & mens.
Præterea procul eſt mæror pellendus, & omnem
Triſtitiam de corde fuga: tam macerat artus,
Deformatqve ipſum corpus, canosqve capillos
Ante diem reddit: contra præcordia læta
Ætatem efficiunt viridem, robuſtaqve membra,
Cætera tu videas qvæ paulo diximus antè.
Poſtremo eſt aliud qviddam pretioſius, atqve

Nobilius, per qvod felices efficiuntur
Mortales, ſimilesqve Deum, cæloqve fruuntur
In terris poſiti: qvamvis ea gratia paucis
Tradita ſit: pauci tanto dignentur honore.
Si qværis qvid ſit, dicam, ſapientia nempe eſt.
Nempe bonum qvodcunqve aliud ſapientia vincit.
Hoc homini neqveunt divi dare munere majus.
Huic cedit, qvicqvid rubra reperitur arena:
Huic cedit qvicqvid Tagus, & Pactolus, & Hermus
Aurifero gignunt (ſi verum dicitur) alveo.
Huic par eſſe poteſt nullius gloria regni.
Hæc eſt ſemideum genitrix, & maxima virtus.
Felix, ô verè felix, vereqve beatus,
Humano qvantum generi conceditur, is qvem
Maximus ille pater donavit munere tanto.
Sed fortaſſe aliqvis qværit, ſapientia qvid ſit.
Nil aliud certè eſt niſi prima ſcientia, per qvam
Mens pura, & nullo mortali pondere preſſa,
Libera terrenis affectibus, atria cæli
Scandit, & ætherea cum diis verſatur in aula,
Omnia deſpiciens prorſus mortalia, tanqvam
Frivola, & aſſiduè tendens velut ignis in altum,
Inferiora parum curans, ſublimia ſemper
Cogitat, & verè qvæ ſint bona, qvæ mala novit,
Ac verum a falſo rectè diſtinguit: & illa
Qvæ cæci & miſeri mortales maxima rentur,
Regna, voluptates, & opes, tumidosqve triumphos:
Pro qvibus uſqve adeò noctesqve diesq; laborant,
Pro nihilo pendens, curas miſeratur inanes,
Oſtendens rectè vivendi iter ac moriendi.
Præfulget ſapiens aliis, ceu ſideribus ſol,
Fortunæ imperium tutus contemnit, & omnes
Calcat ſub pedibus conſtanti pectore caſus.

Qvin-

Qvin etiam nullo mortis terrore movetur
Nec timet infernas pænas ſibi conſcius: imò
Lætus obit, ridens pavidi fantaſmata vulgi:
Non dubitans miſerum hoc, plenumqve laboribus ævum
Linqvere, & æternam moriendo acqvirere pacem
Demum uno minor eſt ſapiens Jove: qvatuor autem
Ipſi conveniunt: qvoniam benè conſulit, atqve
Judicat, errore amoto, rectèqve gubernat,
Et contemplari divina humanaqve ad ipſum
Pertinet: extremum hoc qvod dixi, maxima res eſt,
Ultra qvam nihil eſt melius qvod poſſit haberi.
Nemo tamen ſapiens fiet prius, expulerit qvam
A ſeſe omne nefas, purgatus crimine ab omni.
Qvippe habitate negat fœdum ſapientia pectus,
Impurasqve odit, cùm ſit puriſſima, mentes,
Nemo etiam fiet ſapiens, niſi ſit prius idem
Prudens, multarumqve peritus doctrinarum.
Hos ſcito eſſe gradus, per qvos ſapientia habetur:
De qva plura qvidem loqverer: ſed claudere oportet
Jam librum, ſat cauda meo prolixa Leoni eſt:
Qvapropter nunc Muſa tace, & reqvieſce parũper.

LIBER SEXTUS.

Synopſis LIBRI VI.

Ex conſideratione vanitatum humanarum perterrito Poëtæ obviam fit Calliope, ſub cujus perſona oſtenditur, qvam impoſſibile ſit temere ingenio confidenti vera bona dignoſcere, inter qvorum numerum nobilitas æqve minus ac divitiæ & voluptas referri poteſt.

Qva-

Qvare hoc libro de nobilitate jam sermonem instituit: qvam materiam fuse & peremptorie proseqvitur, ostenditqve non stemmata nec famam, neqve ipsos adeo honores, sed virtutem & doctrinam homines nobilitare: Postremo *perpensis vitæ humanæ infinitis miseriis, mortem non extimescendam; verum enim vero ad eam, tanqvam certissimum omnium calamitatum asylum, properandum esse potius concludit.*

VIRGO.

CREDO aliqvos tetricæ mentis, nasiqve severi,
Qvi solos se scire putent & noscere verum,
Atqve sibi solis divum bonitate tributum
Omnia judicio perplexa expendere recto,
Dicturos, nunqvam me degustasse beatos
Aoniæ fontes, & sacras Phocidos undas.
Nec prorsus lauro dignum, titulove poëtæ,
Qvod non inflatas nugas, mirandaqve monstra
Scribimus, ac nullas fingendo illudimus aures.
Nam solas tribuunt fabellas vatibus: ac si
Vera loqvi, fœdumqve foret, vetitumqve poëtis.
Horum ego judicium falsum & damnabile duco:
Nilqve mihi melius, nil dulcius esse videtur,
Qvàm verum amplecti: vetulis puerisqve relinqvo
Has nugas; alii eructent fera bella gigantum,
Harpyiasqve truces, & Gorgonas, & Cyclopas,
Et captos blando Sirenum carmine nautas,
Adde his monstriferam Circen, triplicemqve Chymæram,
Stelliferumqve humero cælum qvi fulcit Atlanta,
Mutatum saxo, & sulcantem Persea nubes,
Tantalum & Tityon, miseriqve Promethea furti.
Belidas & qvicqvid delirans Græcia nostros.

Tem-

Tempore jam longo docuit garrire Latinos.
Non mihi ſit tanti potaſſe Aganippidas undas,
Bellerophontæi qvas protulit ungula monſtri,
Nec mihi ſit tanti Phœbeæ gloria lauri,
Atqve corymbiferis hederis ornare capillos.
Ut ſic delirem: pudet ah, pudet eſſe poëtam,
Si nugis opus eſt puerilibus inſervire.
Et jucunda ſeqvi ſpreto mendacia vero.
Tradita (crede mihi) eſt multis facundia, paucis
Conſilium: multi ſublimia carmina condunt,
Sunt & Romano & Græco ſermone diſerti, (nil.
Et cum multa ſciant, ſapiunt tamen aut modicè, aut
Verba nitent phaleris: at nullas verba medullas
Intus habent, ſola exterius ſpectatur imago.
Et pictura levis: verum qvis ſuccus in illa eſt?
Qvam mens inde capit frugem? qvi talia legit,
Qvid didicit tandem: qvid ſcit niſi ſomnia, nugas?
Qvæ nihil ad vitam faciunt, nihil utile ponunt.
Qvæ ſcire & neſcire, pari diſcrimine refert.
Ergo ſeu vulgus me judicet eſſe poëtam,
Seu neget, haud ideo mendacia vana ſeqvemur,
Sed verum: qvoniam verum eſt perfectio mentis.
Qvod qvicunq; magis novit, magis eſt ſimilis diis
Atqve magis felix: licet hunc inſcitia vulgi
Non merito extollat plauſu; meritoqve favore
Exipiat, licet huic non grandia nomina donet,
Qvare jam Muſæ adſunto, Criticiqve valento.
Ecce viam ingredior, qva plurima taxus utrinq;,
Atqve cupreſſus iter funeſta protegit umbra,
Jam video triſtes campos, pallentia regna
Perſephones, qvos obſcuris per labitur undis
Lethæusqve ambit torrens: latè arva papaver
Lurida ſomniferum veſtit, ripasqve ſilentes.

Qvo me Calliope ducis? qvæ monſtra videre,
Qvas voces audire jubes? bubonibus omnis
Circùm ſilva tonat, mœſtos dat noctua cantus,
Non deſunt ululis miſeræ ſtrigibusqve qverelæ.
Qvò me Muſa rapis? lacrymoſo ėn murmure colles
Et valles reſonant, reſpondet planctibus Echo.
Qvis dolor hic tantus? qvæ tanti eſt cauſa doloris?
Heu qvæ gens illa eſt, ater qvam veſtit amictus,
Syrmata pulla trahens? qvæ ſic velamine nigro
Flens adoperta caput, clamoribus æthera complet
Heu mihi, qvas cædes, qvam multa cadavera cerno
Paſſim ſtrata ſolo? qvis funera tanta peregit?
Qvis dedit hanc latè ſtragem? qvot corpora regum,
Pontificumqve jacent? agnoſco inſignia, nunqvid
Mors eſt illa procul? qvæ viſu & falce cruenta
Horribilis, furibunda venit? præcedere mille
Agimina morborum, pariterqve pericula mille
Aſpicio, ô nimium ſævis armata miniſtris!
Neſcio qvid magno veniens clamore profatur.
Audio qvid dicat, referamqve audita libenter
Mors ego ſum, qvæ fœni inſtar viventia qvæqve
In terris hac falce meto: mihi Juppiter orbis
Jura dedit, juſſitqve ſimul me parcere nulli,
Sed magnos humilesqve pari proſternere lege:
Unde manus, viresqve meas evadere nemo,
Et nemo vitare poteſt: ego graudia regum
Colla premo, ſternoqve animos faſtusqve ſuperbos
Pontificum: nobis nulla eſt non debita cervix,
Sive qvis arctoas fugiens penetraverit oras,
Ripheasqve ultra rupes conſeſſerit, iram
Sentiet hic noſtram, noſtros hic ſentiet ictus:
Sive qvis ad manes imos deſcenderit, auſtri

Qva plaga pressa jacet, qva sunt incognita nobis
Sidera, me inveniet tamen, inventaqve peribit.
Falx hæc occasum, falx hæc populatur & ortum,
Non ego divitias vereor, nec stemmata priscis
Credita imaginibus, solio detraxit ab alto
Qvot mea dextra viros, & nigra in tartara misit
Præcipites? Priamum memini, qvum cæsus ad aras
Victima nostra fuit: Macedum dux ille superbus,
Qvi tot regna suis pugnando everterat armis,
Par animo cujus totus non extitit orbis,
In Babylone cadit telo confossus ab isto.
Qvid memorem heroas Latios, Martisqve nepotes,
Terrarum dominos, qvorum clarissima virtus
Imperium Oceano, famam conjunxerat astris?
Nonne omnes potui cæsos demittere ad orcum?
Privaviqve manus sceptris, diademate crines
Os verbis, & luce oculos membra omnia motu,
Corporaqve obscura clausi exanimata sepulchro,
Me timet Indus, Arabs, Maurus, Scytha: deniqve qvisqvis
Europamqve, Asiamqꝫ colit, Libycosqve calores
Nullum ego discrimen facio generisqve lociqve,
Tempora nec servo, nec mores curo, nec annos:
Improbus, atqꝫ probus, sapiens, stultusqꝫ peribit,
Infantes, juvenes, longaqve ætate gravatos,
Formosos, turpes, æqva ratione trucido.
Hunc qvoqve qvem video procul hinc mea regna petentem,
Qvum sua fata sinent, mittam pallentibus umbris,
Edidit hæc Stygio diva implacabilis ore. (guis,
Tunc me concussit timor ingens, membraqve san-
Undiqve dilapsus venis, extrema reliqvit;
Inqve imum pectus coiit succurrere cordi.

Præcipuè, qvum tartareos dea ſæva miniſtros
Præſentem in turbam, qvæ latos plurima circum
Errabat campos, tantæ ſecura ruinæ,
Mitteret: irrumpunt illi, penduntqve, tenentqve,
Qvisqve ſuum: ſternuntur humi languentia paſſim
Corpora, multipliciqve gemunt vexata dolore.
Mox ipſa adveniens, nonnullus falce necabat:
Nonnullos etiam, qvorum ſubtemina nondum
Finierat Lacheſis, juſto illis debita fato,
Præteriens, cædi ſervabat diva futuræ.
Tunc ego ſic mecum, attonitus, totusq; tremiſcens,
O curas, ô vota hominum, vanosqve labores!
O ſpem fallacem, ô cæcæ ſolatia mentis!
O fluxum decus humanum, ô variabile tempus!
Qvàm brevis, incerta, & multorum plena malorum,
Et qvantis noſtra eſt obnoxia vita periclis!
Qvæ jucunda qvidem facie, dulcisqve videtur,
Sed qvantum intus habet fellis, qvantumq; veneni,
Qvid ſumus, ô miſeri: niſi pulvis motus ab aura?
Et fragili vitro ſimiles, umbræqve fugaci?
Atq; roſis, qvæ mane nitent, mox veſpere languent?
Nunc vivi atq; hilares, paulo poſt vermibus eſca,
Nunc pulchri & validi, paulo poſt turpe cadaver.
Heu mihi qvid prodeſt congeſta pecunia nobis?
Qvid gemmæ, argentum, atqve aurum, pretioſaqve veſtis.
Qvid populos, magnaſqve urbes ditione tenere?
Marmoreosqve habitare lares, vultuqve ſuperbo
Omnes deſpicere, atqve parem ſe credere divis
Si mors cuncta rapit, ſi tanqvam pulvis & umbra
Deficimus miſeri, ſi tam cito faſtus & omnis
Gloria noſtra perit, nullum reditura per ævum?
Hæc ego cùm loqverer ſumiſſo murmure mecum,

Pal-

Pallentem vultu aſpiciens, gelidumqve timore.
Incertoqve gradu titubantem Opheïa mater,
Qvid te (inqvit) tanta obſeſſum formidine cerno?
Eſto audax: animi vilis timor argumentum eſt:
Nec decet ille viros: cedò, qvæ te cauſa timere
Mortem adeò cogit? tunc ſic ego: Diva, neceſſe eſt:
Naturæ impulſu qvippe hanc animalia, qvæ non
Horreſcunt, fugiunt? hæc vitam tollit, & omnes
Divitias ac delicias, corpusqve reſolvit
In nihilum, remanetqve nihil, niſi pulvis & oſſa,
Qvæ pariter pulvis longo poſt tempore fiunt.
Deniqve cuncta bona hæc adimit, ſummumqve malorum eſt,
Ergo tam dirum & tam formidabile monſtrum
Qvem non terrebit, niſi cui ſit ferrea fibra?
Tunc Jove nata, mihi ſubridens, ſic ait: Erras,
Nimirum veri ſpecie deceptus & umbra,
Non cuivis facile eſt ipſum cognoſcere verum,
Hic ille eſt ramus, medium qvem maxima ſilva
Arboribus denſis cinctum, atqve erroribus atris
Obductum celat: nec multis aurea virga
Conſpicitur, niſi cui puræ oſtendere columbæ,
At mihi qvæ ſata ſum felici ſemine cœli.
Verum noſſe licet: verum tibi dicere poſſum,
Si me audire voles: ego tunc, dea nil magis opto,
Reſpondi: illa autem: Nos hinc divertere oportet
Pauliſper, ſeqvere: & ſecum me duxit in altum
Non adeò procul inde locum, qvo lumina ſolis
Cernere erat, radiis ferientibus ardua montis,
Jucundumqve jubar tenebras disjecerat atras,
Sedimus ad fontem qvendam, lauriqꝫ ſub umbra
Tunc mea dux tandem pulchro ſic incipit ore,
Simia cœlicolum, riſusqve jocusqve deorum eſt

Tunc homo, qvum temere ingenio confidit, & audet
Abdita naturæ ſcrutari, arcanaqve divum,
Cùm re vera ejus craſſa imbecillaqve ſit mens.
Si poſita ante pedes neſcit, qvo jure videbit
Quæ Deus & natura ſinu occuluere profundo?
Omnia ſe tamen arbitratur noſcere ad unguem.
Garrulus, infelix, cæcus, temerarius, amens,
Uſqve adeò ſibi palpatur, ſeſeqve licetur.
Stultitiæ fons eſt, & origo philautia veſtræ,
Caligoqve ingens, qvæ vos cognoſcere verum
Poſſe vetat: tolle hanc, oculi meliora videbunt:
Et qvæ nunc bona prima putas, fortaſſe negabis
Eſſe bona: & qvæ nunc credis mala maxima, forſan
Non mala ſunt dices, pulſis â corde tenebris.
Ergo ſcias, mortale genus nihil eſſe, niſi utrem
Æoliis plenum ventis: qvem jugiter urget
Huc illuc, lapidi inſiſtens fortuna rotundo.
Cui, ſi qvid ſeparet, vita mors gratior eſſet:
Cum vivendo, malis homines ſine fine premantur:
Exiguisqve bonis, ſed nec ſine felle, fruantur.
Qvod verum credes, puto, ſi bona, ſi mala vitæ
Mortalis referam, qvanta brevitate licebit:
Collatisqve ipſis, tunc vita humana patebit
Qvæ ſit, & an tantùm mors debeat ipſa timeri.
Principio de divitiis, qvas omnis ubiqve
Gens ſeqvitur, laudat, qværit, miratur, & optat,
Dicere conſtitui, & qvid ſint oſtendere nitar.
Tunc ego, Diva (inqvam) ſi vis huic parce labori:
Qvandoqvidem prius hoc olim referente Minerva
Edidici, nunc perge alio, nec nota recenſe,
Deqve voluptate ubertim qvoqve rettulit olim
Nobis diva Arete, miſſusqve à matre Timalphes.

Qvare id transi etiam qvæso, & qvodcunq; aliud vis
Expedias, tunc Diva inqvit, de nobilitate (tur.
Dicam igitur, qvoniam bona prima hæc inter habe,
Qvilibet hanc hodie sibi vult, sibi dicit inesse,
Plus licet inde absit, qvàm distet Iberus ab Indo,
Sed qvid nobilitas, aut qvanti, est? vera fateri
Conabor: qvanqvam qvid prodest vera fateri,
Credere si renuunt? fugiunt animalia qvædam,
Oderuntqve diem, tenebris ac nocte vagantur:
Sic homines multi lumen cognoscere veri
Nec possunt, nec amant: adeò natura, Deusqve
Distinxit mortale genus, recteqve videnti
Una hominum species animalia cætera monstrat:
Usqve adeò mores varii mortalibus, & mens
Dissimilis: multi tenebras umbrasqve seqvuntur,
Nec verum spectare qveunt, solemqve nitentem,
Infirmis oculis, qvem fixo lumine pauci
Aspiciunt, qvibus est animus divinior, ergo
Nobilitas, veluti vulgus putat inscius, aut est
Copia nummorum, & collectio divitiarum:
Aut sanguis, qvoties generoso é stemate qvisqvam
Natus, avos, atavosqve suos, gentiliaqve arma
Jactat, & eximios laudat virtute parentes,
Judicium tamen hoc vulgi mendaciter errat,
Ut plerumqve solet, communis opinio multis,
Paucorum ratio est, si nobilis ille putari
Debet, qvicunqve est dives: sic nobilis esse
Credo potest lanius, tonsor, piscator, eqviso,
Pastorqve & pistor, coriarius, atqve bubulcus,
Et leno, & latro, & qvivis de plebe lutosa.
Namqve ex his multi rebus nummisqve potentes
Et sunt, & possunt fieri, fortuna freqventer
Extollit miseros: eadem detrudit ad imum

Sæpe illos, qvos antè rotæ commiſerat altæ.
Nobilis ergo fuit tantùm qvum mœnia victor
Æneadum intravit Marius plaudente ſenatu
Ac populo, inſignis lauro, niveisqve qvadrigis:
Sed poſtqvam ejectus Syllanis viribus, exul
Minturnis latuit, latuit qvoqve carcere fœdo:
Vel qvum mendicus panem per punica rura
(Pro ſuperum leges, & non benè nota poteſtas)
Qværebat panem duris foſſoribus aptum,
Non erat infelix tunc nobilis: abſtiterat tunc
Nobilitas fugiens longè: mox ipſa revertit,
Qvum Marius rediit, mutato ſidere, Romam.
Nimirum ſtulta hæc ſententia, ſi ſit ab auro
Nobilitas, certè de terra naſcitur aurum,
De fraude, & furto, de fœnore: naſcitùr ergo
De fraude, & furto, de fœnore nobilitas, ô
Judicium vulgi inſanum! ô ſine pectore turba!
Nobilitare hominem non ulla pecunia, nullæ
Divitiæ poſſunt: pretio nam dignior omni eſt
Nobilitas: hæc non emitur, nec venditur auro.
At genus ille ſuum jactat, laudesqve ſuorum
Inculcat, cùm ſit turpiſſimus: atqve recenſet
Geſta patris, monumenta atavi, patruiqve trophæa.
Et qvanqvam iñumeris, demens, ignavus, abundet
Criminibus, virtutis inops, tamen eſſe putatur
Nobilis, eſt alto qvoniam de ſanguine natus.
Cur aliena tibi tribuis? laudemqve tuorum
Eſſe tuam cenſes? cùm tu ſis dedecus illis,
Degener, infamis? mentito nomine cygnum
Gracculus appellat ſeſe: cornicula plumas
Pavonis furata, cupit pavo ipſa videri:
Sed natura vetat, qvæ nobilitatis origo eſt.
Hinc animi viles, hinc & cœleſtia corda

Proveniunt: hæc largitur ſua ſemina cunctis.
Nempe animũ propter, non propter corpus haberi
Nobilis, & dici debes: nàm corpora multa
Servorum pulchra, & magna, & robuſta videntur:
Nobilitas qvidam eſt animi proprius decor, atqve
Vis qvædam nativa, cupit qva grandia ſemper,
Vilia contemnit, qva ſurſum tendere ut ignis
Nititur, & ſummas penetrat velut ardea nubes,
Infima deſpiciens. Hanc vim qvi munere cœli
Accipit, ille bonus fiet, patiensqve laborum,
Conſilioqve potens, curis vigilantibus, ut qvid
Dignum laude gerat, ut ſit laudabilis ipſe.
Sed tantum natura bonum non omnibus, imò
Perpaucis donat, qvorum fama inclyta longo
Tempore, poſt cineres populorum in pectore vivit?
Attamen (ò mores, ô mira inſania) qvis non
Vult dici & credi nunc nobilis? ô nebulonum
Turba audax, ô vile pecus: te nomina clara
Delectant, tibi fama placet, tibi gloria: cur non
Et labor & virtus etiam placet, ut meritò ſis
Nobilis? an mavis ſapiens juſtusqve vocari,
Nomine mentito, qvàm vero? cur tibi nummus
Falſus, cur panis falſus, cur cætera falſa
Non ſunt grata, velut mendax ac futile nomen
Nobilitatis amas? ò larva, ò ſimia diſce,
Diſce prius frænare animum, compeſcere cæcos
Affectus, ratione uti, vitare nefanda,
Juſta ſeqvi: te noſce prius, durosqve labores
Amplecti ne te pigeat, vilemqve fugare
Deſidiam, ut poſſis culmen virtutis adire.
Tunc jure ac merito dicêris nobilis: hæc eſt,
Hæc eſt nobilitas vera: hæc ſunt illa deorum
Munera, ab indoctis non intellecta, per iſtam

Inceſſere viam Phrygia de gente Qvirites,
Hac duce Romanum imperium ſe ſuſtulit aſtris,
Hac abeunte iterum, in præceps deſcendit ab aſtris.
Nam ſimul ac ſegnes conſurrexere nepotes,
Jam parto imperio, jam proſperioribus annis,
Delicias ludosqve leves, luxumqve ſecuti,
Degenerare ſuis cœpere à patribus, unde
Nobilitas tales homines exoſa receſſit
Protinus ad ſuperos, donec creſcente nepotum
Luxuria & vitio, deleta ſuperbia Romæ eſt.
Non igitur genus eſt, non ſanguis, non ſtatuarum
Mutarum ſeries, non auri copia, qvæ te
Nobilitet: Virtus, virtus; hac nobilis Hector,
Alcidesqve fuit, fuit hac qvoqve nobilis ille
Ilias æternum cui præbuit inclyta nomen:
Hac proceres alii, qvorum tot fama per annos
Durat adhuc; qvid te jactus natalibus ortum
Egregiis? te præcipui genuere parentes:
Qvid tum, ſi nihil es? ſi turpis, turpiter omnem
Inceſtas maculaſqve domum? tibi dedecus eſt hoc,
Non honor ac veluti ſtolidum ſi gignat aſellum
Magnanimus fortisqve leo, ſi ſimia barro
Naſcatur, monſtrum es, claræqve injuria genti.
Non ſic nobilitas per teſtamenta relinqvi,
Aut virtus potis eſt, velut ædes, rura, ſuppellex.
Hanc natura tuis tribuit majoribus: at non
Omnibus, antiqva repetas ab origine gentem,
Invenies fortaſſe tuo de ſanguine multos
Cerdoneas aut agricolas, unumqve videbis
Ex humili natum fortuna, nobilitatis
Principium feciſſe aliis: qvæ tempore crevit
Paulatim, ſed poſt qvoqve tempore victa ſeneſcet.
Omnia fert tempus, pariter rapit omnia tempus.

Qvis nunc Pompeji de ſtirpe, aut Cæſaris eſſe
Noſcitur? aut ejus, domitis cognomen ab Aphris
Cui virtus invicta dedit? qvis credere tantam
Progeniem periiſſe poteſt? domus alta deorſum
Sæpe cadit, penitusqve ruit, ſurſumqve levatur
Sæpe humilis: nulla eſt hominum fortuna perennis;
Sic cœlum variare ſolet mortalia qvæqve,
At dices, qvale eſt ſemen, talis qvoqve fructus
Inde venire ſolet, ſi ſum de ſemine claro,
Clarus ero. Non ſic: proceri ſæpe parentes
Exiguum genuere hominem, turpemqve decori,
Robuſti infirmum, ſapientes inſipientem:
Nec mens, ut corpus, patrio de ſemine manat.
Non patris eſt animum pueris præbere, ſed ipſum
Largiri natura ſolet. Qvid nobile ſemen
Egregiumqve feret, faveat niſi debita cœli
Temperies? verum eſt vulgò qvod dicitur, annus
Producit ſegetes, non cultus: ſemina qvamvis
Optima, ſi terræ fuerint mandata ſiniſtris
Sideribus, parient lolium, vel jacta peribunt:
Ergo ſufficiens non eſt pater ipſe creandis
Nobilibus natis, adſit niſi gratia cœli.
Hinc eſt qvòd multos humili de plebe videmus
Illuſtres naſci: qvi magnum nomen adepti
Virtute ac meritis, ſe poſt modo nobilitarunt.
Qvis fuit ille Maro? qvis Tullius ille, qvis ille
Tam ſapiens ſanctusqve Cato? qvis Horatius? omnes
De medio plebis geniti: qvis doctus Homerus?
Cujus nec patriam certam, certosqve parentes
Scimus adhuc, dic qvæſo, patrem Demoſthenis, atqve
Euripidis matrem, dic Socratis, illius inqvam

Socratis, in cujus gremio Plato maximus hausit
Divinos latices, qvi solus Apolline teste
Est visus sapere: hunc genuit, qvi marmora fodit:
Nascentes pueros mater capiebat ab alvo.
Nonnullos etiam reges, de plebe creatos
Novimus: haud rarus qvoqꝫ consul & induperator
De populi fæce ad summum pervenit honorem,
Qvid qvòd eqvi, pariterqve canes, ac cætera bruta
Degenerare suo persæpe videntur ab ortu?
Nempe diu res nulla manet, nempe omnia semper
Deteriora solent fieri, in pejusqve referri,
Naturæ imperio, & fatorum lege perenni:
Deinde iterum ex alio fœtu instaurata rènasci:
Hoc variare, decus mundi est: hæc gloria summi
Artificis, facere ex minimis ingentia, necnon
Ex summis minima, & rerum mutare tenorem
Jugiter, ac faciem sapienter cunctanovando.
Non tamen inficior, claros habuisse parentes
Esse bonum, & claro nasci de sanguine: namqve
Hoc verè pulchrum atqve bonum est, prosuntqve parentes
Auxilio, exemplis, hortatibus, efficiuntqve
Sæpe sui similes natos, nisi fata repugnent,
Et natura potens nimium: qvam vincere si qvis
Nititur, ille etiam congestis montibus, altum
Æthera conscendet, pulso Jove: qvaliter olim
Fama Gigantæos qvum sensit Phræ gra tumultus.
Enceladum memorat, summi juga maxima Olympi
Imposuisse Ossæ, premeret cúm Pelion Ossa,
Sed tamen hoc non esse satis concludimus. Ergo
Qvamvis à populo dicaris nobilis omni,
Sisqve licet mollis, nitida cute, corpore lauto,
Egregiis vescare cibis, ac veste superbus

Con-

Conſpicua incedas, referas gentemqve domumqve,
Nobilis haud ideo es, ſed fortunatus, & utri
Aurato ſimilis, ſimilisqve ex marmore ſigno,
Qvis tamen hoc curat? ſatis eſt de nobilitate
Ac virtute, ipſum nomen: maluntqve videri,
Qvàm ſic eſſe homines, pro dii, nunc nomina tantum
Magnifica, & claros titulos ſibi qvilibit optat,
Arrogat, affectat, ſeqvitur, rapit: ut merito jam
Et ſe aſinus pardum vocet, & formica leonem.
Qvis non vult ſapiens, generoſus, juſtus haberi,
Et probus & doctus? contentus cortice ſolo
Atqve umbris rerum: ut tali velamine mores
Occulat infandos? lis eſt de nomine, non re.
Hoc habeas igitur nomen, ſic nobilis eſto,
Ut Romæ paſqvillus homo eſt: ut ſæpe vocatur
Nobilis aut latro, aut meretrix, aut nobile marmor,
Eſto tamen qvod ſis & nomine nobilis, & re:
Qvid tum? laudabor, dices, decorabor honore.
Nunqvid parva tibi hæc, & non cupienda videntur
Præmia? qvandoqvidem virtus ex nobilitate
Naſcitur, ex virtute autem laus ſurgit, honorqve.
Non volo, nec fas eſt virtutem carpere: ſed ſi
Interius videas meliori lumine verum,
Cognoſces qvanto virtus tam digna labore
Afficiat miſeros homines: qvàm reddat amaram
(Stoicus id qvamvis nolis concedere) vitam.
Motalem primùm videamus: difficilis pars
Nimirum hæc: qvam ſi qværit qvis ritè tenere.
Heu qvantos opus eſt ſubeat toleretqve labores?
Naturæ bellum indicat, confligat oportet:
Qvandoqvidem mortale genus natura creavit

In-

Infirmum, pronumqve malo, adversabile recto.
Pro superi, in vitium facili decurrere lapsu
Qvisqve solet. Cur hæc homini mala semina qvondam
Indita sunt? nunqvid fuit hæc tua culpa Prometheu?
An malus hos dæmon humana in pectora morbos
Intulit (ut fama est,) sceleris qve injecit amorem?
Heu qvàm difficilis, salebrosa, & plena laboris
Semita, qvæ ad mores ducit, vitamqve Deorum?
Qvis bonus est? non sponte ullus; qvis non malus? (ille
Qvi legis, regisve metu, peccare recusat:
Vel qvi fortè neqvit, qvot vult, committere crimen.
Nimirum haud facile est naturæ obsistere, seqve
Vincere, & insanos compescere pectoris æstus.
Qvapropter pugna assidua, jugiqve labore
Est opus à puero, ut vitiis ponantur habenæ,
Assuetudo etenim naturæ frangere vires
Sæpe solet, si sit multos firmata per annos.
Ergo militia est hominum vita: hostibus omnis
Plenus ager, multi latitant ubicunqve latrones.
Qvis tot vitabit laqveos? tot retia cautus
Effugiet? nam cum fortuna est prospera cuiqvam,
Acturum subit & stimulat vesana libido,
Tum sua castra movet ventosa superbia, tunc &
Desidia atqve gula, & petulans audacia surgit:
Contrà illum dolor atqve metus, dirumqꝫ venenum
Occupat invidiæ atqve iræ, qvum forte sinistra
Vivit, & indignam qværit propellere qvovis
Pauperiem pacto, tunc fraudibus atqve rapinis
Et furtis studet, ut sua damna rependere possit.
Fheu, mortales inter Scyllam atqve Charybdim
Jactantur miseri, & vitiis læduntur utrinqve.
Dumqve mala hæc vitare volunt, labuntur in illa.

Si cupiunt fortes fieri, diſcrimina oportet
Multa pati, & multos coguntur ferre labores.
Si virtutem illam, qvæ humanas temperat actus,
Affectant, opus eſt expellere gaudia, triſti
Conſilio, gratamqve parum deducere vitam.
Si juſtus vult eſſe aliqvis, non utile qværat,
Juſtitia eſt multis laudata, domeſtica paucis.
Qvod ſi fortè placet cuiqvam prudentia, ſemper
Ut caveat, nulli credat, fidatqve neceſſe eſt:
Qvandoqvidem ſunt cuncta dolis & plena periclis.
Deniqve qvi bonus eſt, & mitis, ſæpius ille
Læditur: ille minus tutus, plus inſidiarum
Suſtinet. Hic ſiqvidem mundus domus ampla ma-
lorum,
Ac ſcelerum patria eſt: probitas hic exulat. Unde
Imbelles lepores, damæ mites, capræqve
Idqve genus ſine felle animalia qvæqve petun-
Sæpius, & pereunt: rarus venator ad urſos (tur
Accedit, tutos conſervat ſilva leones.
I nunc, & mitis, ſimplex, innoxius eſto,
Ut citius fias avidorum præda luporum.
Heu mundus totus qvædam eſt nativa tyrannis.
Debilibus robuſta nocent, & grandia parvis,
Ales fulminiger timidos infeſtat olores,
Accipiter laniat turdos, mollesqve columbas:
Verſicolor coluber ranas miſeraſqve lacertas
Devorat: in ſilvis fera fortior ore minorem
Dilacerat; tua monſtra tenes qvoqꝫ maxime Nereu,
Qvæ rapido infirmos abſumunt gutture piſces.
Non mare, non tellus, non aër tutus, ubiqve
Hoſtis adeſt, prodeſtqve parum non eſſe nocentem.
Ergo vide qvam ſit pars hæc virtutis amanda,
Qvæ facit eſſe bonos; nam tanto parta labore

Hoſtibus iu mediis tandem vos reddit inermes.
At dices, probitas defendi legibus, atqve
Principibus ſolet: ô utinam fieret, ſed ubiqve
Vincuntur nummis leges, magnoqve favore:
Placantur donis Reges, & voce precantum:
Damnat jura illos qvibus aut exhauſta crumena,
Aut nullus favor eſt, alii qvocunqve premantur
Judicio, inſontes abeunt, ut parvula muſca
In tenui tela, qvam pendens texit arachne,
Volvitur ac remanet: ſi grandior horridiorqve
Impulerit, frangit caſſes & tuta recedit:
Sic leges (veluti Scythica de gente canebat
Barbarus ille Sophus) miſeros nectùntq; tenentqve
Tranſmittunt laxis foribus, renuuntq; potentes.
Altera virtutis pars, qvæ ſtudioſa reqviret
Naturæ cauſas & vix penetrabile verum,
Qvàm ſit difficilis, qvàm magni plena laboris,
Experti norunt. Primo coguntur ab ævo
Sub præceptoris ferula, formidine multa,
Verberibus cædi, & lacrymis dictata referre:
Incluſi tanqvam in cavea cohibentur, ut ire
Non liceat qvoqvam, niſi permittente tyranno.
Qvanqvam ventris onus jubeat, veſicave turgens,
Et pueris cognata fames, & ludere gratum.
Tempora ſed calidæ poſtqvam acceſſere juventæ,
Majori ſtudio eſt opus. Hic Antenoris urbem,
Adriaci tentans rabioſam gurgitis iram,
Parthenopemve petit, Tyrthena per æqvora currens:
At Peruſina alius, Romanave mœnia qværit:
Ut procul à patria tellure, incommoda multa,
Et mala multa ferat, Veneris, ſomniqve cibiqve
Parcus, & aſſiduus ſtudio, libriſqve legendis,
Haud

Haud aliter qvisqvam fiet, niſi nomine, doctus.
Sunt etenim docti re pauci, nomine multi.
Gaudia nempe nocent, nocet illecebroſa voluptas
Apprimè his cupiunt qvi diſcere plurima, & altum
Doctrinæ culmen conſcendere. Namq; reflectunt
Ac removent animos à duro tramite, per qvem
Itur ad auricomæ ſacraria celſa Minervæ.
Nempe labore opus eſt longo, aſſiduoqve volenti
Nobile per populos urbesqve acqvirere nomen.
Hinc verò multos cruciat dyſpepſia, multos,
Dum nimium nimiumq; legunt, ophthalmia vexat,
Præ ſtudio ſtomachus crudeſcit, viſus hebeſcit,
Et pallor venit, & macies, & acerba ſenectus.
Nec mirum, qvoniam ſcire & cognoſcere verum,
Eſt præter naturam hominis, propriumq; deorum.
Ac veluti infirmo radiantem lumine ſolem
Noctua ferre neqvit: ſic mens humana deorſum
Imbecilla ruit, qvoties contendit in altum
Surgere & audaci cœlum penetrare volatu.
Qvod proprium eſt ſuperum, mortales turpiter audent,
Deſipiuntqve magis, qvanto magis illa reqvirunt,
Qvorum cognitio nil prorſus ſpectat ad ipſos,
Ni fortè auxilium ac lumen deſcendit ab alto.
At dii felices: mundum, qvis, qvantus, & unde,
Atqve ipſum mundi dominum, ſpeciesqve animantum
Et rerum innumeras norunt, cauſasqve latentes,
Semina, & occultas vires, qvibus omnia conſtant.
Hæc vita eſt, hæc eſt ipſorum tota voluptas:
Non cibus, aut ſomnus, non morbus, cura, laborve,
Non lucri ſpes, non damni metus impedit illos.
Qvin ſemper valeant optatum inqvirere verum.

Ergo

Ergo cœlicolum ſapere eſt: prudentia tantùm
Convenit & confert mortalibus, ut ſibi poſſint
Conſulere, & vitare ſciant incommoda, necnon
Commoda congerere, & tranqvillam ducere vitam.
Qvid faciat, qvid non, homini prudentia monſtrat.
Huic ſtudeat qvicunq; cupit bene vivere, & inter
Tot ſpinas rerum gradiens non lædere plantas.
Qvis non eſſe putet ſtultum, qvi rebus omiſſis
Utilibus propriisqve, aliena & inania qværit?
Dumqve ſuas neſcit vires, majoraqve tentat,
Dum nimis alta petit, præceps, velut Icarus, undis
Mergitur æqvoreis: cupiens æqvare bibendo
Rana bovem, rupta nunqvam bibit amplius alvo.
Dum ſtudet inſanus Phaëthon cœleſtia fræna
Mortali tractare manu, nonne infima preſſit
Stagna padi, currumqve cadens vitamqve reliqvit?
Seſe metitur prudens & continet intra
Naturæ fines: nec plus qvàm debeat, audet,
Excepto, ſi illum Deus impellitqve juvatqve.
Curent mortales qvæ ſunt mortalia: omittant,
Qvæ ſuperum: ne ſi contendant altius æqvo
Scandere, præcipitent potius, moveantqve cachinnum:
Ut ſi fortè velit ſumma de rupe volare
Bos gravis, aut aſinus citharam pulſare canoram.
Eſto autem qvisqvam doctrina præditus omni,
Uſqve adeò ut multos norit componere libros:
Qvid qvæſo inde boni accipiet? tantumq; laborem
Præmia qvanta manent? dices, laus, gloria, fama,
Inqve animis hominum diuturna in ſæcula vivet.
Atqvi ego qvid ſit honor, qvid laus, qvid fama velim te
Clarius & melius perpendere: plurima namqve

Apparent aliter qvàm ſint. oculosqve tuentum
Atqve animos fallunt ſpecie, velamine & umbra.
Hinc bona, qvæ mala ſunt: & qvæ ſunt turpia, pul-
Cenſentur: ſcatet hinc fons omnis ſtultitiæ. (chra
Sæpe ſub argento latet æs, ferrumqve ſub auro,
Et ſub ſincero clauduntur cortice putres
Caſtaneæ, multosqve lupos ſub pelle videbis
Agnorum, non ne aulæis carioſa teguntur
Ligna, vel antiqvus paries, rimisqve pudendus?
Eſt acies mentis potior, qvæ perſpicit intus
Qvicqvid in abſtruſo eſt qvicunqꝫ hac utitur, ille
Verus erit rerum judex, & mira videbit. (laus
Qværo igitur, qvid fama juvat? qvid gloria? qvid
Oppreſſos ſomno, aut vivendi munere caſſos?
Nil plusqvam ſurdum citharæ, aut ſpectacula cæ-
At reſpondebis, viventes & vigilantes (cum.
His gaudent, nec non pro talibus omne periclum
Ultro adeunt, ultroqꝫ animas cum ſanguine fun-
dunt.
Nimirum ambitio multos ad fortia, tanqvam
Calcar agit, multosqve trahit virtutis ad arcem,
Torpentes urgens ſtimulis compellit, ut armis
Grande aliqvid faciant: vel ſi non viribus audent
Ingenio ſaltem exhibeant memorabile qvicqvam;
Ipſa tamen vitium eſt: unde ambitioſus haberi
Nemo velit, qvicunqve etenim ambitione tenetur,
Creditur eſſe levis, ventoſus, turpis: ut olim
Romulidæ orabant, jacto poſt terga pudore,
Plebejos, qvoties ſuffragia venabantur,
Cerdonumqve animos precibus ſervilibus atqve
Turpibus obſeqviis captabant, muneribusqve,
Ut propriis rebus curarent publica omiſſis,
Perqve forum medium multis comitantibus irent,

Inflati ut vento folles, ac fronte superba.
Propter se virtus petitur, non propter honorem:
Ipsa licet propriè ac verè mereatur honorem.
Qvid? qvod vulgus iners nescit virtute moveri?
Hanc potius ridet: faveat fortuna necesse est,
Divitiæqve adsint: tunc laus, honor, & decus omne
Adveniet, virtus sine censu languet ubiqve:
Qvanqvam nil refert, si gallo sordet jaspis:
Nec minus idcirco est pretiosa & nobilis: unde
Vir bonus, & veræ compos virtutis, abundè
Contentus, vulgi laudes contemnit & odit.
Nec fumum qværit, nec inani pascitur aura,
Insignis facies fucis non indiget, aurum
Qvod per se pulchrum est, nudum monstratur, at ille
Qvi non est, aliqva saltem cupit arte videri,
Personamqve sibi inducit velut histrio. Qvare
Si rectè aspicias, vita hæc est fabula qvædam.
Scena autem mundus versatilis: histrio & actor
Qvilibet est hominum, mortales nam propè cuncti
Sunt personati, & falsa sub imagine, vulgi
Præstringunt oculos: ita diis risumqve jocumqve
Stultitiis nugisqve suis per sæcula præbent:
Ergo honor & fama, & mortalis gloria, lausqve
Somnia sunt, prorsus nil conducentia: qvando
Sorte magis qvàm virtute acqviruntur: at esto
Qvod tantum dignis tribuantur: dic mihi nunqvid
Corporibus prosunt? certe nil dic, animisne
Tantundem: hos inflant potius, tumidosqve, levesqve,
Nec non sollicitos reddunt, se subdere multis,
Et servire solet multis, ambire, precari,
Munera largiri, qvisqvis sectatur honores.
Vita igitur talis misera est, & plena tumultis,

Sub-

Subjacet invidiæ, & magnis qvandoqve periclis,
Virtutem veram qvi poſſidet, ille qvietus,
Ille ſatis felix: permittat cætera divis,
Sufficiens honor eſt homini, qvum dignus hono-
re eſt:
Qvi datur indigno, non eſt honor: eſt onus, imò
Ludibrium, veluti in ſcena qvum ludius eſt rex.
Jam mala qvæ humanum patitur genus, adnume-
rabo.
Principium poſtqvam è latebris malè olentibus alvi
Eductus tandem eſt: materno ſanguine fœdus
Vagit, & auſpicio lacrymarum naſcitur infans:
Ut puto, qvam mala ſit vita hæc, qvam plena periclis
Natura monſtrante videt. Sic per mare longum
Mercator facturus iter, terretur & alto (tos,
Pectore dat gemitus, metuens ſcopulos, freta, ven-
Naufragium, occurſus piratarum, omnia demum
Terribilis qvæcunq; tenet diſcrimina pontus.
Vix natus jam vincla ſubit, tenerosqve coërcet
Faſcia longa artus: præſagia dira futuri
Servitii: qvis enim liber? ſunt legibus omnes
Subjecti: nec non & regibus, & vitiis, &
Judiciis hominum: ſervit qvoqve qvilibet ultrò
Spe pretii faciendo aliqvid, vel forte coactus.
Omne animal poſtqvam natum eſt, ſubito ambulat,
& qvo-
cumq; libet graditur: non ſic homo, tempore longo
Non pedibus, non ore valet, non mente, ſed inſtar
Vocalis ſtatuæ, ſolis vagitibus omnem
Nocte dieqve domum vexat, turbatqve qvietem,
Poſt ubi jam valido ſe poplite ſuſtinet, & jam
Ritè loqvi didicit, tunc ſervire incipit, atqve
Juſſa pati, ſentitqve minas ictusqve magiſtri:

Sæpe patris matrisq; manu, fratrisqve freqventer
Pulsatur: facient qvid vitricus atqve noverca?
Fit juvenis, crescunt vires: jam spernit habenas.
Occluditqve aures monitis: furere incipit, ardens
Luxuria atqve ira: temerarius omnia, nullo
Consilio aggreditur, dictis melioribus obstat,
Deteriora fovens: non ulla pericula curat,
Dummodo id efficiat suadet qvod cæca libido:
Rixatur, nec jura timet, cerebrosus & exlex.
Nempe agitur furiis juvenum pars maxima: pauci
Qvos frænat metus, aut pudor, aut prudentia, recto
Tramite sinceram ducunt, sine labe juventam.
Succedit gravior, melior, prudentior ætas,
Cumqve ipsa curæ adveniunt, duriqve labores:
Tunc homo mille modis, studioqve enititur omni
Rem facere, & nunqvam sibi multa negotia desunt.
Nunc peregre it, nunc ille domi, nunc rure laborat,
Ut sese, uxorem, natos, famulosqve gubernet,
Ac servet, solus pro cunctis sollicitus, nec
Jucundis fruitur dapibus, nec nocte qvieta.
Ambitio hunc etiam impellens, ad publica mittit
Munia: dumqve inhiat vano malè sanus honori,
Invidiæ atqve odii patitur mala plurima, deinceps
Obrepit canis rugosa senecta capillis,
Secum multa trahens incommoda corporis, atqve
Mentis: nam vires abeunt, speciesq; colorqve:
Nec non deficiunt sensus: audire, videre,
Languescunt, gustusq; minor fit: deniqve semper
Aut hoc, aut illo morbo vexantur, inermi
Manduntur vix ore cibi, vix crura bacillo
Sustentata meant: animus qvoqve vulnera sentit,
Desipit, & longo torpet confectus ab ævo.

Ergo

Ergo ſuis ſubjecta malis eſt qvælibet ætas.
Plurima ſunt etiam mala, qvæ communiter omnis
Ætas ferre ſolet: nunc frigus lædit acutum,
Hybernæq; nives, necnon furibundus ab arcto
Riphæisqve jugis Boreas, qvum ſtiria perdet
Horrida culminibus, glacie cûm flumina torpent.
Nunc æſtas nimiis inſana caloribus urit,
Qvum tenet ardentem Nemees Nyperiona mon-
Arvaqve flaveſcunt, & tellus arida aperto (ſtrum,
Ore vocat pluvias: nullus morientibus herbis
Humor adeſt, lamæ ſiccæ, ſiccæqve paludes
Torrentur, candet cœleſtibus ignibus aër,
Nunc ſitis atqve fames, nunc & penuria rerum
Utilium cruciat: qvis poſſit carmine morbos
Innumeros, qvibus eſt obnoxia vita, referre?
Qvod febres, qvot languores, qvot ubiqve dolores
A capite ad plantas? humanum corpus ut extra,
Sic intus patitur: per ſingula membra venenum
Infudit natura homini: caput, & manus, & pes,
Et latus, & ſtomachus, graviter torqventur, & aures
Atqve oculi, & fauces, renes: qvid cætera dicam?
Qvid cupio numerare grues qvot Strymonis unda
Excipiat? vel qvot phrygius Mæandet olores?
Mens etiam plerumqve ſua de ſede recedit,
Vel philtris, vel carminibus, vel turbine morbi,
Vel qvum territus cacodæmona pectore qvisqvam
Bajulat inſano, vel qvum furit improbus Euan:
Qvanqvam & avaritia, ambitio, dolor, ira, voluptas,
Non minus ac vinum humanos confundere ſenſus
Atqve animis tenebras ſoleant inducere: qvare
(Dicere ſi verum volumus) pars maxima vivit
Ebria væſanis affectibus, inveniuntur
Heu pauci qvi non titubent, qvi lumine ſano

Aſpiciant qvid agant, ac ſe ratione gubernent.
Hinc non inſcitè qvidam numerum infinitum
Stultorum dixit: nam qvis non indiget albo
Helleboro, & tota Anticyra? vix Græcia ſeptem
Inter ſtultorum tot milia connumerat, qvi
Credantur vero ſapientis nomine digni.
Humani generis mater nutrixqve profecto
Stultitia eſt, ſine qva mortalia cuncta perirent.
Nilqve agerent homines in terris, hac duce fiunt
Bella, & qvæ bellis ſunt opportuna tot arma,
Tot clypei, tot ſigna ſuis diſtincta figuris:
Hac rurſus monſtrante, joci, thyaſiqve, choriqve
Inventi, tot deliciæ, tot ludicra, totqve
Ornatus: nonne hinc etiam vis tanta librorum,
Tantus nugarum torrens fluit? omnia, ſaltem
Plurima facta hominum veniunt ab origine tali,
Jam vero triſtes caſus, & triſtia fata,
Sunt qvibus oppoſiti mortales, dicere ad unguem
Nemo qvidem poſſet, qvamvis facundus; in undis
Mergitur hic, avidisqve miſer fit piſcibus eſca:
Ille cadit, præcepsqve ruens perit, aut male lan-
guet
Perfractis membris: alius nive, grandine, & imbri
Obruitur: multos inopino fulminis ictu
Interiiſſe liqvet: qvoſdam delapſa ruina
Contrivit: nonne abſumunt incendia multos?
Nonnè, aliqvos aut herba nocens, fungusve ma-
lignus,
Incautos perimunt? nonnullos gutture fixus
In medio cibus eliſit, qvot bellua morſu
Exanimat? mulusve malus, vel non eqvus æqvus,
Dum furit atqve ferit ferratis calcibus? aut bos
Indomitus, qvoties cornu bacchatur acuto?
Qvid

Qvid referam, qvot damna homini perſæpe venire
Culpa hominum ſoleant? adeò ut fera nulla magis
Formidanda illi, qvàm ſemine natus eodem. (ſit
Hinc tot prædones, tot fures, ſacrilegi tot.
Tot delatores, tot falſo in crimine, teſtes,
Tot mœchi, tot carnifices, mortalia turbant
Otia; ceu lætos turbat lea viſa juvencos.
Ille nocet lingua, hic ferro, pars maxima fraude:
Ille palam rapit, hic clam: ſunt & qvi ſimulato
Nomine amicitiæ, vel nomine religionis
Imponant multis, qvos credulitate fideqve
Inſulſa faciles falli novere; ferè omnes
(Pro genus infandum) damnis gaudent alienis
Non frater fratri, nec amicus fidus amico,
Nec patri natus, vere hic ſunt tartara, ſunt hic
Cerberus, & furiæ, & chaos, & ſtyx: deniqꝫ qvicqvid
Horribile, & fœdum nigri tenet aula tyranni.
Sola qvies ſomni pacem mortalibus affert:
Dum vivunt: nihil hac (niſi tetra inſomnia turbent)
Dulcius eſſe poteſt: nam curas atqve labores
Eximit, & blandis miſeros amplectitur alis.
Hanc homini tamen invidit natura qvietem.
Juſſit enim ut dirus pulex, cimexqve, culexqve,
Morſibus inficerent hujus tam dulcia pacis
Gaudia, nec deſint unqvam mala nocte dieqve.
Longè igitur melior mors eſt qvàm mortis imago.
Nam qvicunqve fretum vitæ gaudente carina
Tranavit ſemel, & tutum tenet anchora portum,
Ille hilaris ventos ridet tumidasqve procellas,
Leucotheamqꝫ caput ſertis redimitus adorat,
Atqve Athamanteum donis onerat Melicertam,
Securus celebrans varios in littore ludos.
Mors omnes finit pœnas: mors omnia ſolvit

Vincula, morte fugit metus omnis & omne periclũ
Utqve dolor nullus, te nulla urgebat egeſtas,
Qvum patrios nondum lumbos ingreſſus, eras nil:
Sic poſtqvam extrema fueris jam morte ſolutus,
Te nullus dolor, & te nulla urgebit egeſtas.
Qvis damnoſa ſibi, qvis perniciosa fuiſſe
Tempora crediderit, qvæ tunc fluxere, fuit qvum
Ipſe nihil, nondum materna conditus alvo?
Qvis qveritur nocuiſſe ſibi menſesve diesve,
Qvos nunqvam vidit, vel qvos nunqvam ipſe videbit?
Vel qvi noctem illam ut parvam, miſeramqꝫ, gravemqve
Vituperet, qva nil ſenſit? ſomnoqve profundo
Obrutus, ut lignum jacuit, gelidumqve cadaver?
Qvid mors? æternus ſomnus. ſomnus? brevis eſt mors.
Sed multis placet im̃ortales aſſe animas, &
Vivere defunctos perhibent, membrisqve relictis
Nudatos, veluti propria de cortice tracta
Cochlea nudari ſolet, ad Plutonia regna
Tendere præcipites, ac tartara nigra ſubire:
Myrtiferumqꝫ nemus fingunt, ubi vulgus amantum
Ingemit, atqve addunt ferventes ignibus amnes,
Monſtraqve vipereum manantia gutture virus,
Diſtinctasqve locis ſedes, ubi vagiat infans,
Atqve ubi verberibus ſævis facibusqve cruentis
Eumenides agitent ſontes: ubi rura beatis
Debita perpetuis vireant pulcherrima ramis.
Aſt aliter dicunt alii, & poſt funera credunt
Eſſe qvidem manes, ſed qvi vixere decenter
Ac rectè, in cœlum ſublatos jungier aſtris:
Contrà qvi pecudem ritu terrena ſecuti
Neglexere deos, pecudem qvoqve corpora juſto

Judi-

Judicio induere, & mutato carcere pœnas.
Solvere tantiſper ſcelerum, dum prorſus ab omni
Crimine purgati æthereas referantur ad oras.
Qvæ ſi vera forent, etiam metuenda foret mors.
Aut ſaltem bene vivendum, vitiisqve carendum:
Namqve piis juſtisqve dari bona præmia, contra
Injuſtis meritas pœnas meritumqve dolorem,
Atqvi morte obita ſuperentne, an ſint potius nil,
Et qvum corporibus pereant animæ qvoqve
(tanqvam
Sole nives verno, aut nubes Aqvilone ſolutæ)
Dicere non noſtrum eſt: videor ſatis eſſe loquuta:
Germanam ſcitare meam, qvam nomine Graji
Appellant Sophiam: (namqve hæc doctiſſima tales
Aſſiduè verſat curas, ſemperqve reqvirit
Occultas rerum cauſas, & amabile verum.)
Hac igitur monſtrante potes naturam anima-
Noſcere, ni fallor, ſi te tenet iſta cupido. (rum
Mi ſatis id fuerit tibi dicere, qvod metuenda
Mors non eſt, ſaltem juſtis qvi pectore puro
Vixerunt: qvoniam vel dulci pace fruentur,
Æterno addicti ſomno, vel præmia habebunt
Debita virtuti, & felices efficientur.
Qvare agedum ſanctos mores amplectere, & om-
nem
Pelle animo noxam pro viribus: hoc tibi pacto
Mors levis ac facilis fiet, nullloqve timore
Depoſitum reddes naturæ, & lætus obibis.
Qvin hæc tecum animo verſa, ſic cogita, & inqve,
Qvid mihi mors oberit? qvo me lux ultima damno
Afficiet? nullo nimirum; qvid mihi demet?
Divitias: ſed divitiis tunc neutiqvam egebo,
Nec re ulla prorſus: cur non ditiſſimus ergo

Censeri potero ? nempe est locupletior ille.
Non qvi plura tenet, sed qvi minus indiget aurum,
Argentum, gemmas, palatia, prædia, vestes,
Atqve alia id genus, omnino aspernabor, uti nil
Apta mihi: nec me torqvebit adempta voluptas.
Ut neqve torqventur pecudes, qvod mollia vina
Non habeant, vel mellitas croceasqve placentas,
Qvæ non optantur, qvid tum si non habeantur?
Sed dulces natos, & dulces linqvere amicos
Cur adeò miserum est? nonne esset deterius si
Me superante illi morerentur? perpetuoqve
In mœrore manerent? ut scribunt, Nestora acerbo
Antilochi fato, aut Euandrum funere nati,
Qvem Rutulus ferro stravit, Phrygia arma juvan-
Æterno in luctu vitam duxisse molestam (tem,
Præcedant? at parvo post tempore nostra seqventur
Qvum volet ipse Deus. vestigia, meqve revisent:
Si modò sunt aliqvid manes, ut credere par est,
Ut Christi præcepta docent, multiqve sophorum.
Qvicqvid erit, non propterea mihi dura videri
Mors debet, qvòd divitias & dulcia vitæ
Gaudia surripiat, namqve hæc sunt tradita nobis
Mutuò, & usuram rerum natura benigna,
Non res concessit miseris mortalibus: ergo
Qvum nil sit nostrum, moriendo aliena relin-
qvam,
Nilqꝫ meum amittam: qvid tum si aliena relinqvo?
Qvid doleam, si qvæ sua sunt natura reposcit?
Nudus ego huc veni, simul hinc ego nudus abibo.
Mundus enim qvoddam hospitium est, ubi turba
animantum
Diversorum ingens habitat, qvæ tempore certo
His fruitur dapibus, qvas convivator habendas

Ub-

Ubertim, & gratis permittit: ſumite, dicens,
Sumite: non meritis veſtris ſed munere noſtro,
Hæc bona tradidimus vobis obſonia, donec,
Mi fuerit viſum vos hinc dimittere, donec
Eja agedum, dicam, noſtris decedite menſis,
Veſcimini, & genio læti indulgete; ſed hora
Ultima qvum veniet qva vos hinc ire jubebo,
Parete æqvo animo, & venturæ cedite turbæ,
Convivasqve alios iiſdem gaudere ſinatis.
Ergo qvis, niſi ſit demens, ingratus, iniqvus,
Talibus auditis alieno excedere tecto,
Nolit, & invito domino reſidebit? at ille,
Peſſime vade foras, clamabit, & ejiciet vi,
Tunc malè confuſus, lacrymans, qverulusqve recedet.
Cur ego ſortiferæ ſi me vocet arbiter urnæ,
Mordicus invitam vitam retinebo? vel ægrè
Migrabo ut multi: neqve enim fas: imò libenter
Deſtituam mundum hunc fœdum innumerisqve refertum
Fraudibus atqve dolis, inceſtibus atqve rapinis,
Eſt ubi nulla fides, pietas ubi nulla, nec ulla
Juſtitia & pax & reqvies, ubi crimina regnant
Omnia, ubi frater fratri inſidiatur, ubi optat
Interitum patris natus, mulierqve mariti,
Atqvi vir uxoris: nemo eſt, vel rarus ubiqve
Qvi non furetur (modò poſſit) non rapiatqve.
Qvi non ſit fallax, qvi non ficto ore loqvatur;
Ut meritò poſſit mundus ſpelunca latronum
Dicier, en reges ſub honeſto nomine, nec non
Pontifices, ſpoliant populos; en depeculantur
Certatim cives, laniantes viſcera matrum.
Qvid tot ſtupra loqvar? ſunt cuncta libidine plena,

Et paſſim proſtant, & clam fodiuntur ephebi.
Qvis non mœchatur? myſtæ, vafriqve cuculli,
Qvos caſtos decet eſſe, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis virginibusqve
Nocte dieqve ſubant: ſunt qvi conſanguinearum
Inguinibus gaudent: ineunt pecudes qvoq; multi,
Et rura, & ſilvæ infames, urbs qvæqve lupanar,
Adde tot inſtantes caſus, tam multa pericla
Qvæ impendent ſemper mortalibus: adde labores
Aſſiduos, & tot ridenda ſuperſtitionum
Agmina, qveis opus eſt cervicem ſubdere: qvando
(Proh pudor) ignari ſophiæ, craſſiqve cerebri,
Doctrinæ oſores (qvibus eſt ſola alea curæ,
Aut nutrire canes & eqvos, volucresqve rapaces,
Continuisqve jocis puerilem ducere vitam)
Sceptra tenent, præſunt populis, urbesq; gubernant
Hinc tanta errorum ſcabies, tot ſtultitiarum
Colluvies, hinc & tot millia flagitiorum.
Talia ſi tecum reputas, animoqvè revolvis,
Non metues mundum hunc tam ſtultum, tamqve
malignum,
Linqvere: ſed potius rectè feciſſe Calanum,
Atqve alios dices, qvi ſeſe ſponte necarunt,
Et ſponte hanc ſcelerum caveam, ſtabulumqve
Deſeruere, manu ceſſantia fata vocantes (ferarum
Nec voluere ultra moribundum paſcere corpus,
Et miſeræ carni tanto ſervire labore,
Qvod niſi religio obſtaret, legesqve Platonis,
Et Deus, hortarer te ultro dimittere vitam,
Et ſortem inſanem & ſceleratas linqvere terras.
Non vinum; ut vinum appetitur, ſed tale, bonum-
Sic & vita, ut vita, eſt nil niſi bona: qvodſi (qve,
Eſt miſera, ut vinum corruptum deſpiciatur.

Esse qvidem, per se nec amandum, nec fugiendum est:
Qvippe habet hoc qvamvis vilissima recula vermis,
Musca, lapis, cortex: nihil est optabile, dempta
Conditione boni: nisi sit tale, esse, bonumqve
Non video cur optari, cur possit amari.
Qvare qvi mortem metuit, valde insipiens est,
Qvum mala tot tantosqve pati sine fine labores
Corporis atqve animi malit qvam vel cruciarum
Omnem cum carne exuere, & reqviescere semper,
Æternaqve frui ac tranqvilla pace, vel ipsis
Depositis membris, nulla re prorsus egentem
Vivere, nec sentire aliqvem jam posse dolorem,
Atqve una cum diis totum percurrere mundum
Singula spectando, & ventos superare volando,
Ni fuerit pingui vitiorum fæce gravatus,
Cogaturqve imas terrarum habitare latebras.
Postqvam sic fata est, Musarum maxima, surgit,
Et me Phœbea renuentem fronde coronat:
Deinde abiens per inane amplum, sese abdidit astris.

LIBER SEPTIMUS.

Synopsis LIBRI VII.

Unitatem Dei, omnium rerum primi principii demonstrat: qvem summe perfectum, simplicem, existentem, sapientissimum, summe bonum, sempiternum, infinitum & incorporeum esse apodictice ostendit. De levitate & gravitate pauca. Cum sensus fallaces sint, rectam rationem veritatis normam infallibilem esse asserit. Ætheri suos colonos rationales

nales, hominibusqve nobiliores aſſignat. An plures orbes dentur diſqvirit. Naturam animæ cognoſcere difficile eſt. Cauſam motus in corpore humano voluntati & calori attribuit. Deinde ſententiam ſuam de dolore, laſſitudine, paſſionibus animæ & ſenſibus exponit: ubi animam ſolam, non vero oculos videre, auresve audire &c. ſolidiſſimis & ex intimis philoſophiæ purioris penetralibus depromptis argumentis manifeſtiſſime evincit. Tandem animæ immortalitatem; hujusqve dogmatis neceſſitatem & utilitatem evidenter ſatis demonſtrat & inculcat; objectionibus reſpondet.

LIBRA.

MUSA agendum ſurge, & melioribus utere pennis:
Alta pete, atq; humiles jamdudum deſpice curas:
Rebus in excelſis decus eſt & gloria major
Contemplare deos, totumqve per æthera curre,
Eſt ubi ver æternum, ubi pax æterna, ubi ſemper
Lucidus apparet Titan, nullisqve tenebris
Læditur alma dies, non illic nubifer Auſter,
Væſanusve Aqvilo: Zephyri ſed blandior aura
Spirat, & ambroſiæ lætiſſima gramina mulcet.
Hac ſpatiare igitur: tamen inde relapſa viciſſim
A centro ad centrum vario diſcurre volatu,
Ac veluti ſpeculam qværit, qvicunqve videre
Optat multa procul, ſic te ſuper aſtra neceſſe eſt
Scandere, adusq; Jovis ſolium: hac ſublimis ab arce
Subjectum claro ſpectabis lumine mundum.
Principium primum, immenſum, admirabile, ſummum,
Ex qvo cuncta fluunt, tanqvam de fonte perenni,

Unum est duntaxat, nec rectè plura putantur:
Nam si plura forent rerum primordia, vel nil
Inter se prorsus differrent, sic erit unum:
Vel mage differrent, & sic fateamur oportet
Esse aliqvod majus, melius, præstantius, inter
Cætera principia, unde aliis tribuatur origo,
Arbitrio cujus moveantur cætera. Nam si
Plura movent pariter, si vires omnibus æqvæ,
Si par imperium est, non est tamen æqva voluntas,
Parqve illis animus, crudelia prælia fient
Jugiter, atqve omnem impediet discordia motum.
Ut si fortè ratem parili conamine plures
Impellant venti, nunc huc, nunc flatibus illuc
Ambiguis agitata hæret, cui pareat, aut qvem
Audiat: unde loco semper versatur eodem.
At si animus cunctis idem est, eademqve voluntas
Principiis, frustra ponentur plura, sed unum
Sufficiet, nam si non sufficiet, atqve aliorum
Indiget auxilio, si non nisi juncta movere
Possunt, haud dubie imperfectum erit unum qvoqꝫ
Nec poterunt verè primordia prima vocari,
Nam perfectum imperfecto prius esse necesse est,
Necnon composito simplex, & pluribus unum,
Et mixto purum: qvod prudens nemo negabit.
Est operæpretium tamen hoc ratione probare.
Causa suo effectu prior est, auctorqve opere ipso.
Perfectum verò, qvia partes continet omnes,
Nilqve illi desit, longo est robustius, atqve
Fortius, ergo facit, movet, imperat, unde putatur
Jure qvidem causa atqve autor: sed debile contrà
Est imperfectum, qvia partes non habet omnes,
Huicqve aliqvid desit: proin vincitur, atqꝫ move-
Perfecti jussu paret, non imperat: ergo (tur

Jure

Jure qvidem effectus dici, atqve opus eſſe mere-
Poſteriusqve ipſo perfecto debet haberi. (tur,
Qvod ſi principium primum, qvo cuncta creantur
Imperfectum eſſet: miſerum foret uſqve, & ab illo
Nil poſſet fieri perfectum, ſicut ab arte
Qvæ non perfecta eſt, perfectum non opus exit.
Qvare non poſſunt plura eſſe exordia rerum,
Aſt unum: qvia perfectum non amplius uno eſt,
A qvo ſic rerum æternus deducitur ordo,
Ut monade à prima innumeri numeri generantur.
Eſt etiam purum ac ſimplex, nam poſteriora
His ſunt compoſita & miſta: an componere qvis-
qvam
Aut miſcere poteſt, ſi non prius inveniantur
Ex qvibus id fiat? prius hæc extare neceſſe eſt
Singula per ſe, deinde ſimul conjuncta manere.
Ergo principium primum (ceu diximus) unum eſt,
Ac ſimplex, nec non purum: qvod vivere ſi non
Credimus, erramus; qvoniam niſi viveret, unde
Eſſet vita aliis, cum vivant cuncta per ipſum?
Vivit nimirum, atqve ſapit: qvia condere nunqvam
Tot bona. tam varia & pulchra, & tanto ordine
poſſet,
Ni ſapiens foret, & cognoſceret omnia ad unguem.
Nec dubitandum, etiam ſed corde atq; ore fatendũ.
Hoc ipſum eſſe bonum; nunqvid bonitate carebit
illud cunctorum qvod origo & cauſa bonorum eſt?
Num fonte ex dulci rivi effunduntur amari?
Num dulces rivi ex fonte effunduntur amaro:
Aut opus eſt nihil eſſe bonum, aut bonus ille pu-
tandus
Qvi rerum fons eſt, & mundi maximus auctor,
Hunc homines variè appellant: nos ore Latino

Qvi

Qvid loqvimur , plerumqve Deumqve , Jovemqve vocamus.
Qvi qvum ſit primum ens, & ab ipſo cætera fiant,
Idcirco eſt per ſe vivens, ſapiensqve, bonusqve,
A nullo accipiens qvod habet, verum omnia ab illo
Accipiunt; igitur qvod habent, amittere poſſunt,
Si modò nil conferre velit dator ille ſupremus.
Ut rivi poſſunt areſcere, ſi neget undas
Fons ſolitas: tamen haud ideo fons deficit ipſe.
Nam per ſe producit aqvas, neqve pendet ab ullo:
Sic Deus eſt per ſe, idcirco non deficit unqvam:
Nec ſi cuncta ſimul pereant, ideo ipſe peribit.
Qvicqvid enim per ſe eſt, ſemper durare neceſſe eſt.
Qvum nullo indigeat, qvum ſolo pendeat à ſe:
Qvum vi non poſſit, qvum nolit ſponte perire,
Demum ipſe eſt totum, ſunt autem cætera partes.
Tale tamen totum non eſt, qvod conſtituatur
Partibus ex ipſis, qvum ſit ſuper omnia ſimplex.
Sed virtute (inqvam) totum eſt, qvia condidit orbem
Tam vaſtum, & qvicqvid tam vaſtus continet orbis.
Omnia qvæ vivunt, & qvæ viventia non ſunt,
Omnia qvæ apparent, & qvæ apparentia non ſunt,
Ipſe facit ſolus, ſolus qvoqve facta tuetur.
Hac ratione igitur totum eſt, totumqve vocatur.
Ut ſemen tota eſt arbos, qvia viribus ejus
Qvanqvam ſit minimum, tamen ingens naſcitur arbos,
Qvæ validis ramis ſpatioſas explicat unbras.
Multi autem dubitant an corpus corporeusve
Sit Deus, eſſe etenim nil præter corpora credunt,
Atqve ea corporeo qvæ ſenſu percipiuntur.
Qvare nos utrum hoc ſit verum deſpiciamus.

Omne qvod eſt corpus, qvantum & qvale eſſe neceſſe eſt,
Atqve duo hæc propter nimirum ſenſibile corpus
Redditur: his demptis, qvid ſenſu percipietur?
Qvod verò qvantum & qvale eſt, componitur: atqvi
Simplex eſt Deus ipſe, velut jam diximus. Ergo
Neutiqve corpus habet: prædictis adde qvòd omne
Corpus materia ſaltem, formaqve coactum eſt.
Præterea non finitæ virtutis oportet
Eſſe Deum, æternus qvum ſit ne deſinat orbis;
Nullum infinitam virtutem corpus habebit,
Qvodlibet eſt etenim finitum, nempe rotundum
Corporibus cunctis majus, meliusqve ſuis eſt
Limitibus cinctum: ſic qvod qvater angulus, aut ter
Format, ſic alias qvod habet qvaſcunqve figuras.
Ergo infinitæ non eſt virtutis, & iſtud
Monſtro ſic: partes hoc divide corpus in æqvas.
Siqve A dimidium, ſit B, pars altera: qværo
An poſſit tantum A, qvantum B, & utriq; poteſtas
Infinita ſit? hoc pacto pars altera fruſtra eſt,
Altera ſufficiet. qvòd ſi pars utraqve vires
Finitas habet, & totum tale eſſe neceſſe eſt.
Finitis etenim conſtare ex partibus ipſum
Infinitum, audet qvi dicere, deſipit. Ergo
Corporis eſt expers, qvi corpora cuncta creavit.
Fortè aliqvis reſpondebit, Deus infinitum
Eſt corpus, nos verò iſtud poſſe eſſe negamus.
Omne etenim ſpatium compleret: nec locus ullus
Reſtaret vacuus qvi claudere cætera poſſet:
Sic nec mundus erit, nec nos, nec deniq; qvicqvam,
Præterea corpus vivens qvum nobilius ſit
Ac melius qvàm qvod vita caret, haud dubitandum
Nobiliorem eſſe ac meliorem corpore vitam,

Pro-

Propter qvam corpus melius ſit nobiliusqve.
Qværo igitur nunqvid vita eſt ſubſtantia? vel qvid
Accidit? hoc ſi ſit, ſubſtantia vilior eſſet,
Nec non deterior qvem qvod ſubſtantia non eſt:
Qvod certè abſurdum clamabit turba ſophorum
At ſi vita ipſa eſt ſubſtantia, corpore nullo
Indiget adjunᴄto ſibi: ſolaqve purius atqve
Cōmodius per ſe qvàm corpore junᴄta manebit.
Nam qvare adſciſcat corpus ſibi, vivere liber
Qvum valeat mundi ſator, & ſine corporis uſu?
Nempe ſupervacua eſt moles, & carceris inſtar
Continet incluſas vires, animamqve coërcet,
Impediens, ne qvò vult pergere libera poſſit.
Ille igitur ſum̄us princeps, bonus, omnipotensq́;
Æternus, ſapiens, prorſus ſine corpore vivit.
Sed qvare hoc multi nolunt concedere? dicam,
Nempe qvia in craſſo demerſi corpore, craſſo
Obduᴄti ſenſu, nil præter corpora norunt.
Ut ſi fortè oculis vitrum qvocunqve colore
Infeᴄtum objicias, qvicqvid ſpeᴄtabis, eundem
Qvi vitro, credas deceptus habere colorem.
Scire tamen debemus, & omni errore fugato
Credere, nec dubiè, eſſe alia & qvamplurima verè
Entia, vel nullo viventia corpore: vel qvæ
Corpus habent tenue in primis: ut cernere noſtri
Haud poſſint oculi, nec noſter tangere ſenſus,
Atqve ideo nobis meliora & nobiliora.
Qvod forſan tali poterit ratione patere.
Omne grave & craſſum qvanto plus continet in ſe
Terrenæ fæcis, tanto fit vilius illo
Qvod tenue atqve leve & ſubtiles materiai
Maſſa eſt compoſitum: docet hoc qvodcunq́; metallum:

Nam ſimul ac validis Vulcani viribus arſit,
Loqvitur, & partes illius deteriores,
In qvibus eſt terræ plus & gravitatis, habentur
Pro nihilo, in ſcoriamqve abeunt: leviora magisqꝫ
Pura, nitent, meliore ſono, meliore figura.
Sic panis melior, qvi purior & levior ſit
Ex ſimila: hunc domini comedunt: ſed craſſior eſcam
Dat famulis: rurſus graviori & deteriori
Cuſtodes pecoris paſcuntur rure moloſſi.
Sic aqva, ſic vinum, atqve oleum, & liqvor omnis habetur
Nobilior tanto, qvanto eſt ſubtilior atqve
Lucidior, leviorqve cibus qvoqve: craſſior, & cui
Plus gravitatis ineſt, in ſordes verſus ab alvo
Pellitur: aſt alius terreni ponderis expers.
Fit caro, fit ſanguis, fitqve utile nutrimentum.
Cur lapides viles, craſſoqve graviqve & opaco
Corpore ſunt, gem̃æ pretioſaqve marmora lucent?
Nempe qvia his minus eſt terrenæ fæcis: at illis
Materies concreta magis, denſataqve tellus
Dat pondus, lucemqve adimit, pretiumqve decoris.
Sunt ſpecioſa igitur minus, & pretioſa, tenent qvæ
Plus terræ: unde etiam poſſunt minus entia dici!
Ut minus eſt aurum ſcoria, & qvod vilius aurum eſt.
Namqve elementorum certè eſt viliſſima tellus,
Et qvaſi fæx qvædam: idcirco faber optimus illam
Inferiore loco fixit, multumqve remoto:
Ut qvantum poſſet, diſtaret ab æthere puro:
Denſavitqꝫ globum, ut minor & contractior eſſet,
Cœlicolumqve minus turbaret lumina, qvando
Immenſi ſpectare velint penetralia mundi:
Ergo ubi tam pulchrum abſolvit Deus amphitheatrum

Orna-

Ornavitqve ipſum ſtellantibus undiqve gemmis,
Qvicqvid ubiqve fuit ſcobis, im̃undæqve relictum
Paſſim materiæ, ventos abſtergere juſſit.
Illi confeſtim domini mandata faceſſunt
Hinc Aqvilo, inde Notus, Zephyrusqve, Eurusqve patentes
Certatim verrunt campos, glomerantqve redactas
In medium ſordes, variisqve afflatibus urgent:
Sic facta eſt tellus, qvæ prorſus ab æthere toto
Expulſa, ad centrum ſeſe miſeranda recepit.
Non locus alter erat diſtantior, inferiorqve,
Ad qvem confugiens tandem reqvieſcere poſſet.
Nonne etiam reliqvis infirmior eſt elementis,
Debiliorqve? etenim ſi diſcindatur ab æſtu,
Aut ferro, aut alia qvavis ratione, redire
In ſeſe neqvit, ac diductas jungere partes.
Aſt aqva ſi fuerit diviſa, recurret in unum
Extemplò, & rurſus veluti prius integra fiet:
Sic aër, ſic ipſe ignis qvum dilaniantur,
Qvamprimum coëunt, diſſectaq; membra reducunt,
Et remanet facto de vulnere nulla cicatrix.
Unde hoc? nimirum qvia ſunt meliora, magisqve
Perfecta, & propria poſſunt virtute moveri:
Terra autem per ſe ſtabili gravitate qvieſcit,
Immo aliis cauſa eſt ut ſint immota, locumqve
Ne mutare qveant: ſi qvidem plus eſt ubi terræ,
Plus gravitatis ineſt: minus illic mobilitatis,
At qvæ ſunt leviora, eadem ſunt mobiliora,
Et vitæ propiora qvidem: nam cauſa movendi
Corporibus vita eſt, patet hinc qvòd mortua motu
Cuncta carent, ſed qvum viventia ſint meliora
(Qvandoqvidem nihil eſt vita pretioſius ipſa)
Haud dubiè, levius qvodcunqve eſt, mobiliusqve,

Illud idem melius dicendum nobiliusqve.
Ergo errant prorſus qvi credunt entia tantùm,
Qvæ apparent oculis, vel tactu percipiuntur.
Et qvæ craſſa magis: qvid enim ſubtilius ipſo
Aëre, qvidve poteſt tangi minus atqve videri?
Unde ipſum multi vacuum, & nihil eſſe putarunt.
Apprime eſt tenuis: qvidni? veruntamen eſt ens,
Et verum corpus, primis de qvatuor unum,
Nobilius terra, & terram humectantibus undis.
Tradita proinde fuit ſedes ſublimior illi.
Nam qvæ ſunt cœlo & ſtellis propiora beatis,
Debent nobiliora etiam, & meliora putari.
Nonne omnes venti tenues, ut lumina fallant?
Qvis tamen eſſe neget ventos? qvi ferrea poſtqvam
Carceris Æolii fregêre repagula, montes
Ingentes qvatiunt: validaqve à ſtirpe revulſas
Dejiciunt ornos, pontumqve à ſedibus imis
Evertunt, cogunt nubes, ſolvuntqve coactas,
Terribilesqve ciunt tonitrua: & fulmina trudunt:
Qvum tantas habeant vires, non entia dices,
Cernere qvòd neqveas, vel prenſos ſtringere palmis?
Nimirum ſtultum eſt committere ſenſibus omne
Judicium, fallunt oculi perſæpe videntem,
Proqve alio monſtrant aliud, demergite in undas
Perſpicuas baculum rectum, apparebit in illis
Incurvus: currat propè littus adacta phaſelus,
Currere tunc littus credas, ceſſare phaſelum.
Fallaces igitur ſenſus, ætate freqventer,
Aut morbo, aut aliis cauſis mutantur & errant:
Nec ſunt cuiqve pares, qvod pulchrum judicat ille,
Contrà hic turpe putat, dulce ille, hic ducit amarum:
Ille alget, calet hic: variantur corpore ſenſus,
Inqve alia ſunt carne alii, partesqve ſeqvuntur
In-

Interdum per qvas operantur: ut ebrius unam
Eſſe duas credit flammas, & fixa moveri:
Qvippè mero turbati oculi, turbant qvoqve viſum.
Aër præterea ſolet ipſos vertere ſenſus:
Namqve modo eſt clarus, modò turbidus, humidus eſt nunc,
Nunc ſiccus nunc eſt denſus, nunc rarus: ita ipſos
Illudit variè ſenſus: hinc ſanguineus ſol
Apparet, minor hinc vel major luna videtur:
Hinc clamante aliqvo ſinuoſa reſultat imago,
Decipiens ſtolidas iteratis vocibus aures.
His aliisqve modis poſſunt errare: ſed ipſa
Certior eſt ratio, duce qva mens invenit inter
Mille latens nugas & inania ſomnia verum.
Hanc amat, hanc ſeqvitur, totis huic viribus hæret,
Qvi ſapit, ingenioqve valet, cui vivida mens eſt.
Æthereusqve animus: ſed craſſa obtuſaqve turba
Non videt hanc lippis oculis: hinc plurimus error
Vanaqve credulitas, & opinio cæca tenaxqve
Prudentum rectrix ratio eſt, at opinio vulgi.
Nos igitur rationis iter, qvà poſſumus, omni
Conatu ac ſtudio qværamus & ingrediamur.
Ipſa etenim ratio ſol eſt, qvi tramite certo
It ſemper, per qvam à brutis diſtare putamur:
Obſcuram, incertamqve imitatur opinio lunam
Qvid demum ratio dictat? viventi multa
Eſſe qvidem, noſtros fugiant qvæ tenuia ſenſus,
Nam niſi feciſſet meliora & nobiliora,
Qvam mortale genus, frabricator maximus ille,
Nempe videretur non magno dignus honore,
Nempe imperfectum imperium atqve ignobile haberet.
Infra etenim naturam hominis, pecudesqve feræqꝫ

Exiſtunt, viles omnes ac mente carentes,
Et miſeræ, & ventri tantum ſomnoqve vacantes:
Qvod ſi nullum animal melius natura creaſſet,
Qvidnam aliud foret hic mundus qvàm turpe ferarum
Ac pecudum ſtabulum, ſpinisq; ſimoqve refertum?
Qvidnam aliud foret ipſe Deus qvam paſtor herusqve
Multorumqve gregum, multorumq; armentorum?
Atqvi hominem fecit: nimirum maxima laus hæc,
Nimirum ſatis hoc: ohe, fieri melius nil
Debuit aut potuit? jamjam perfectior orbis
Eſſe neqvit; fuit hæc Jovis infinita poteſtas?
Sed videamus utrum ſit fas hoc credere: non eſt,
Non eſt hoc (inqvam) fas credere, nec ratio vult.
Nam qvid homo eſt? animal certè ſtultum atqve malignum,
Præqve aliis miſerum, ſi ſe cognoſcat ad unguem.
Qvis non ſponte malus? vitiorum lubrica & ampla
Eſt via, qva properant omnes, ultroqve feruntur,
Nec prohibere valent monitor, lex, pœna, metusve,
Contrà virtutis ſalebroſa, anguſta, nimisqve
Ardua, qvà pauci tendunt, iidemqve coacti.
Qvis ſapit? an mulier? nunqvid puer? aut cerdonum
Tota cochors? eheu ſtultorum maxima turba eſt.
Cæcis verſamur tenebris, & ducimur omnes
Affectu: aut nulli, aut pauci, qvos rector Olympi
Præcipuè ſibi delegit, ratione teguntur.
Qvis contemplari valet: aut unde otia nobis
Sunt, ut poſſimus latitans inqvirere verum?
Diſtrahimur variis curis, pars plurima vitæ
Conteritur ſomno, reliqvum morbi atq; labores
Aſſidui impediunt, paupertasve improba turbat.

Deſidia interdum, interdum furioſa voluptas,
Hinc ſtulti ſumus, hinc nobis ſapientia deſit,
Namqve ea continuo ſtudio longoqve paratur,
Pacatumqve animum poſcit, mentemqve qvietam,
Qvàm verò genus humanum miſerum ſit, abundè
(Ni fallor) ſexto libro monſtravimus ante.
Eheu pœnarum ſcelerumqve & ſtultitiarum
Hic locus eſt: hæc eſt tenebroſi regia Ditis,
In qva nemo qvidem non multa incom̄oda ſuffert.
Turba tamen ſtupida & craſſa hoc non cogitat, imo
Inter continuos, deteſtandosqve labores,
Sæpe canit demens, & ridet, nec miſeram ſe
Agnoſcit, patitur pœnas, obiterqve jocatur,
Et ſubito obliviſcitur omnia, dummodo parva
Dulcedo ſubeat; lethen hæc mentibus infert.
Provida ſed tales voluit nos eſſe, ſagaxqve
Natura; utiliter certè, nam ſi ſaperemus,
Qvis ferret miſeræ tot tantaqve tædia vitæ,
Triſtitiam, curasqve graves ſapientia gignit,
Ipſa etiam naturà hominem ſpe lactat inani,
Qva ſine qvisqve ſibi mortem conſciſceret ultro.
Ergo ſtultitia & ſpes, ſunt duo pharmaca nobis
Tradita prudentis naturæ & conſilio, ne
Tot tantisqve malis affecti deficiamus.
Qvod ſi hodie haud ullum eſt animal præſtantius ipſo,
Mundi auctor qvid erit? ſtultorumq; & miſerorum
Et ſceleratorum dominus, princeps pater, & rex.
O bellum imperiun, ô ſum̄um ac mirabile regnũ
O bellos comites! qvid qværis Juppiter ultra?
Jam non es ſolus: tam pulchrum condere mundum
Scilicet hos propter decuit te, ſerviat iſtis
Cœlum, ſol, luna, aſtra, aër, tellus, mare: qvid ni?

Sed mox in nihilum redeant, pereantqve velut nix
Adveniente æſtu, aut hyberno tempore frondes.
Qvanti ſunt qvæ tam imbecillo corpore conſtant?
Qvanti ſunt qvæ tam imperfecto tempore durant?
Nunqvid credibile eſt terram pontumqve habitari
Duntaxat? qvæ ſunt cœlo collata ferè nil
Qvid tellus pontusqꝫ ſimul? punctum prope dicas,
Si mundi ſpatium immenſum ac mirabile acuto
Perpendas animo: qvin ipſis qvodlibet aſtrum
Eſt majus, veluti perhibent qvi talia norunt.
Ergo tam exiguus locus, & tam vilis habebit
Tot piſces, homines, pecudes, volucresqꝫ ferasqve:
Cætera erunt vacua, & proprio cultore carebunt?
Atqve aër deſertus erit, deſertus olympus?
Delirat qvisqvis putat hoc, hebetisqve cerebri eſt:
Immo illic longè plura & longè meliora
Vivere credendum eſt, longeqve beatius atqve hic.
Deniqve ſi verùm volumus, ſine fraude fateri,
Eſt hominum ſedes, brutorumqve infima tellus:
Aſt aër ultra nubes, cœlumqve beatum.
Pax ubi perpetua & nitidi lux clara diei
Aſſidue regnant, domus eſt & regia divum,
Qvos licet haud poſſit mortalis cernere viſus
(Eſt etenim tenuis nimium natura deorum)
Sunt tamen innumeri, bibulæ qvot corpora arenæ
Littoribus cunctis, cunctis qvot gramina campis
Qvi credit cœlum tam immenſum, tamqꝫ decorum,
Deſertum omnino ac ſolum, vacuumqve colonis,
Qvum teneat vilis tam multa animalia tellus:
Delirat, craſſa mentis caligine preſſus,
Nec minus ac pecudes terrena in fæce ſepultus.
Nec mirum puto ſi fortunatæ inveniuntur
Inſulæ in Oceano, loca cunctis plena bonis &
Deli-

Deliciis, veluti qvidam ſcripſere, ubi vitam
Nunqvam ullus dolor, aut caſus contaminat ullus,
Sed cœlum, Oceani nomen, qvia concolor illi eſt
Et velox apprimè, ideò fortaſſe recepit:
Omnis ſtella autem cenſebitur inſula: qvid ni?
Nonne domos etiam multas ita ſæpe vocamus,
Qvod ſolæ à reliqvis ſint omni ex parte remotæ;
At ſi aliter dicunt qvàm nos exponimus, errant:
Non etenim in noſtro Oceano ſunt talia: Reges
Hæc loca non ſinerent armis intacta, ſuoqve
Imperio vellent adjungere, ſi qvis ad illa
Acceſſus foret, & cuperent conſiſtere in illis.
Sed qvid non fingit nugarum Græcia mater?
Nempe ſuos aër cælumqve ac ſidera cives
Indigenasqve tenent: qvod qvi neget, ille beatis
Invidet, atqve Dei majeſtatem inſipienter
Blaſphemat: nunqvid non eſt blaſphemia, cœlum
Dicere deſertum, & nullis gaudere colonis?
Atqve Deum nobis tantum brutisqve preæſſe.
Tam paucis, & tam miſeris animalibus, & tam
Ridiculis? certè ſcivit, potuit, voluitqve
Omnipotens genitor, nobis meliora creare,
Qvæ vivant meliore loco: ut ſua gloria major
Majus & imperium foret, & perfectior orbis.
Nam qvo plura facit, qvo nobiliora, relucet
Hoc magis & mundi decus, & divina poteſtas.
Sed dubium eſt, an ſint puræ & ſine corpore formæ:
An varia, ut nos, membrorum compagine conſtent.
Nimirum dictat ratio, qvod in aëre & igni
Corpus habent qvæcunqꝫ manent animalia: nam ſi
Non ſunt corporea, ergo aër deſertus & ignis
Prorſus erit, vacuusqve locus dicetur uterqve.
Qvippe locum præter corpus, nihil occupat: illi

Cui non eſt corpus, non eſt locus, idqve loco nil
Indiget: ut ſatis oſtendunt præcepta ſophorum.
Sed nunqvid morti debentur? credere par eſt,
Vivere longa qvidem & felicia ſæcula, tandem,
Deſinere, atqve mori: nam ſi corrumpitut aër
Atqve ignis, cur non pereant viventia in illis?
Nempe loci naturam haurit ſeqviturqve locatum.
Forte aliqvis, qvali ſpecie, qvalive figura
Sint hæc ſcire velit: par eſt qvoqve credere talem
Eſſe illis faciem, qvalem nec terra nec unda
Ferre ſolet, noſtra meliorem ac nobiliorem:
Qvalem nec fas eſt, nec cernere poſſumus ipſi.
At qvibus in ſtellis vita eſt, & in æthere puro
Cœlicolæ nunqvam pereunt: qvia nulla ſenectus
Aſtra terit, nulla unqvam ætas labefactat olympum,
Credendumqve, ipſis majora & lucidiora,
Et formoſa magis, magis & valida & levia eſſe
Corpora, qvam reliqvis qvæcunqve ſub æthere vivunt,
Atqve elementa colunt, & tempora menſurantur.
Sed qvid agunt? gaudent ſenſu ac ratione viciſſim
Nunc hoc, nunc illa utentes: miriſqve fruuntur
Deliciis, qvas humanum nec fingere poſſet
Ingenium, nec mortalis percurrere lingua.
Illic eſt verus mundus, vera entia, veræ
Divitiæ, veri mores & gaudia vera:
Aſt hic ſunt umbræ tantum, ſimulacraqve rerum
Frivola, qvæ parvo momento ut cera liqveſcunt.
Illius mundi qvædam eſt hic noſter imago:
Qvantum pictus ab hoc, tantum hic qvoqve diſtat ab illo.
Extra ipſum vero cœlum & ſupra omnia corpora,
Eſſe alium mundum meliorem incorporeumqve

Qvi

Qvi non percipitur ſenſu, ſed mente videtur,
Nonnulli credunt: nec res eſt diſſona vero.
Nam, ſi nobilior ſenſu, & præſtantior eſt mens,
Cur habeat proprium mundum, propria entia ſen-
Qvæ verè exiſtant, qvæ præcipiantur ab ipſo: (ſus
At mens ſola manens, proprio non gaudeat orbe,
Nilqve habeat per ſe exiſtens? ſed ſomnia tantum
Apprendat, tenuesqve umbras, & inania ſpectra?
Qvæ non exiſtunt per ſe, vera entia non ſunt.
Aut igitur mens eſt nihil, aut natura creavit
Menti conſimilem mundum, qvi continet in ſe
Res veras, ſtabiles, putat, immateriales;
Qvæ per ſe exiſtunt melius qvàm ſenſibiles res.
Hic ille archetypus mundus, perfectior iſto
Senſibili, qvanto ſenſu perfectior eſt mens:
In qvo ſol Deus eſt ſummus, diiqve aſtra minores.
Ergo plura etiam qvàm ſit perfectior in ſe
Continet, ac diverſa magis qvam materialis
Corporeusqꝫ orbis: ſed nil corrumpitur illi,
Nil motum, nil tempus habet: ſunt omnia fixa,
Æterna, absqve loco, & nullis obnoxia damnis,
Illic ſunt cauſæ, & cunctarum ſemina rerum.
Senſibilis mundus mundo defluxit ab illo
Mentali archetypo, & qvædam eſt illius imago.
Omnia ſed perfecta illic, atqve undiqve tota:
Hic ſunt particulæ rerum, qvæ multiplicantur
Materiæ vitio: ſic plures efficiuntur
Cervi: namqve illic virtus eſt una creatrix
Cervorum: vulpes facit hæc, facit illa leones.
Sic de aliis dico, qvæ noſter continet orbis:
Qvæ numero plura, at ſpecie clauduntur in una,
Omnia proveniunt, ſuntqve à virtutibus illis.
Haud aliter fabri magna exercentur in urbe,

Qvis-

Qviſqve ſuo incumbens operi diverſa laborat.
Qvare ex particulis hic mundus conſtat, at ille
Ex totis, vivis per ſe, diſtantibus à ſe.
Singula nonnulli credunt qvoqve ſidera poſſe
Dici orbes, terramq; appellant ſidus opacum,
Cui minimus divum præſit: qvia nubibus infrà
Imperium teneat, producatq; omnia ſolus
Corpora qvæ æqvor habet, tellusq; atq; infimus aër:
Umbrarum dominus ſimulacraq; viva gubernans,
Cui data ſit rerum cura & moderamen earum:
Qvæ qvia non durant, ſed tempore corrumpuntur
Exiguo, propè nil poſſunt, umbræqve vocari.
Hic reor eſt Pluton, à qvo tenebroſa teneri
Regna canunt vates: namqve infrà nubila nox eſt.
Supra autem lux clara nitet, ſplendorq; perennis:
Huic igitur, tanqvam minimo, Deus ille deorum
Rex genitorqve dedit viliſſima regna, aliosqve,
Ut qviſqve eſt melior, melioribus addidit aſtris,
Imperiumqve ſuum natis diviſit habendum.
Sed tamen hæc hominum nulli certa eſſe putamus.
Nam ſecreta Dei qvis novit? qvis fuit unqvam
In cœlo, rediitqve iterum, potuitqve referre?
Non tanti eſt mortale genus, mens noſtra labaſcit
In rebus ſummis, nec ſpectat noctua ſolem.
Qviſqve ſuo ingeniò fretus, nova fingere gaudet:
Præſertim vates, qvibus eſt fiducia major.
Traditur his: qvacunqve velint, impunè vagari:
Nam furiis agitantur Jacchi & Apollinis æſtro:
Qvanqvam nil prohibet furioſos dicere verum:
Et verum dixit qvondam furioſa Sibylla.
Sit ſatis hoc (veluti promiſimus) oſtendiſſe
Multa eſſe, nobis longè meliora, videri
Qvæ neqveunt, vivunt tamen, & ratione fruuntur
Imo

Imo aliqvi, inprimis docti, ſcripſere ſophorum.
Tales eſſe animas qvoqve noſtras, corporibusq́;
Exutas non poſſe mori, æternasqve fatentur.
Sic Plato, ſic Samius voluit, ſic ſenſit & ille
Divinus verè Plotinus, ſicqve poëtæ
Non pauci cecinere: igitur par eſſe videtur,
Atqve operæ pretium (qvoniam digniſſima ſcitu
Res eſt) hanc etiam meditando evolvere partem.
Qvid melius qvam ſe cognoſcere? corpora qvid ſint
Norunt vel pueri: pulvis de pulvere: verùm
Difficile eſt naturam animi cognoſcere ad unguem.
Qvare hanc Pierio confiſus numine, totis
Viribus ingenii & ſolerti indagine, poſthac
Qværere conabor, faciliqve oſtendere verſu.
Qvo facto, Libram egreſſus, tua Scorpia adibo
Signa, ubi fatorum vires ac jura reqviram,
Si modò non obſtant ſcribenti fata poëtæ,
Sed qvia in ambiguis rebus bene percipiendis
Progreſſus bonus eſt ac debitus ordo, ut ab illis
Qvæ manifeſta magis ſunt & certa, incipiamus,
Hoc nos facturi ſumus hac in parte? etenim ſi
Principia obſcuris fuerint abſtruſa tenebris,
Qvæcunqve ex illis veniunt, incerta ſeqventur.
Frivola ſi fuerint fundamina, tempore parvo
Deficiet qvicqvid ſuper his fabricare volemus.
Effectus vero certi magis ac manifeſti
Sunt nobis qvám cauſæ: igitur ſumamus ab illis
Principium, & foribus rem perſpiciamus apertis;
Jamqve ideo à motu (qvia per ſe ſponte moveri
Poſſunt qvæ vitam retinent: qvia deniqve motus
Præcipuum vitæ indicium eſt) prius incipiemus.
Nempè ipſum corpus, nec non membra ipſa qvieſcunt

Per

Per ſe, & putreſcunt: calor eſt fortaſſe movendi
Cauſa, aut calfactus ſanguis, ſed viva freqventer
Stant immota, inſit licet his ſanguisqve calorqve,
Qvandocunqve volunt reqvieſcere : proinde vo-
Ipſius motus fons & cauſa eſſe videtur. (luntas
Sæpe volunt tamen, & neqveunt animata moveri:
Ergo utrumqve ſimul motum creat: imperat unum,
Exeqvitur reliqvum: jubet hoc, juſſa efficit illud.
Velle qvidem nihil eſt, ſi deſit poſſe, ſed unde
Vult animal mutare locum? qvia nempe voluntas
Mente bonum monſtrante videt, deinde ipſa mo-
vetur
Virtute objecti, & trahitur, velut ignis ab eſca,
Ut lapidi Idæo ferrum, paleæqve minutæ
Heliadum lacrymis, miro ſic ordine mundum
Inſtituit pater omnipotens, ut plurima nexu
Jungantur facili, & coëant, ſed plurima contra
Diſcordent inter ſeſe, pugnentqve viciſſim.
Unde aliqvi meritò eſſe ajunt primordia rerum,
Litem & amicitiam, perq; hæc fieri omnia credunt.
Ergo bonum movet, à qvo deinceps mota vo-
luntas
Membra agitat, corpusq; urgens huc mittit & illuc.
Non tamen eſſe bonum cunctis animantibus unum
Credamus: neqve enim cunctis eſt una cupido.
Diverſis diverſa placent, ſua gaudia cuiqve
Diſtribuit natura: aliud puer optat amatqve
Qvam matura ætas: nam qvalia corpora, tales
Sunt plerunqve animi, & talis plerunqve voluntas,
Propterea nunc hoc volumus, nunc illud amamus:
Et qvæ grata prius fuerant, mox deſpiciuntur:
Nimirum, qvoniam corpus mutabile, nunc hos
Nunc illos habitus diverſo tempore ſumit.

Natu-

Naturamqve animi ſecum trahit,hinc vitia, hinc &
Macra fames, Venerisqve oritur genitiva cupido.
Atqvi ipſum corpus mutant complura, vel ætas,
Vel tempus, vel caſus, item potus, cibus, aër,
Sideraqve interdum, ut qvidam ſcripſere periti.
Non igitur ſolum objectum, ſed corporis ipſa
Conditio, nos velle facit diverſa, movetqve,
Sed ratione aliqvi potius ducuntur, & illa
Procedunt, monſtrante viam, & virtute trahuntur:
Qvi perqvam rari exiſtunt: nam lumina mentis
Haud ſecus obducunt affectus corporei, qvàm
Phœbeum jupar inſpiſſantes, aëra fumi
His demum cauſis corpus mortale movetur.
Vis autem motiva animæ, cui mota voluntas
Imperat, imperium exeqvitur, membrisqve qvietis
(Indupedita modò hæc non ſint) infunditur, horſũ
Illorſum impellens: ſed cur laſſata labore
Langueſcunt? ſic crura dolent, ſic brachia torpent.
Hinc credo, qvoniam ſanguis fervore ſolutus
(Fervet enim motu nimio) ſubducitur, atqve
Deficit exhalans, paulatim, non aliter qvam
Ægrorum extenuant qvum pallida corpora febres.
Sanguis enim, aut alius vice ſanguinis humor in ipſis
Diffuſus membris, animam vehit, atqve alit ipſum
Corpus: qvo vegetante, movens vis concitat artus.
Spiritus eſt etiam qvidam tenuisqve levisqve,
Qvem generat calor, ac ſanguis reſolutus ab ipſo,
Ceu ſolet à radiis ſolis reſoluta creare
Unda leves agilesqve auras; hic ſpiritus intra
Viſcera concluſus paſſim fluitansqve cavernis
Corporeis, animæ præſto eſt animæqve miniſtrat.

Qvum vult ipsa aliqvid fieri, corpusqve moveri.
Verùm hi qvi somno oppressi sunt, qvomodo motum
Excercent? nam sæpe aliqvis per somnia surgens
Arma capit, vel sternit eqvum, vel scribit, ut ajunt
Vel citharam digitis pulsat sopitus inertem.
Scire opus est, rerum in nobis simulacra manere.
Qvas visu aut alio sensu percepimus: hinc est
Qvòd qvasi præsentem, absentem spectare videmur
Qvod jam præteritas voces audire putamus.
Has igitur species, cerebri penetralibus altis
Inclusas: turbat stomacho qvi surgit ab imo
Evolitatqve vapor: tunc mens delusa, movetur
Atqve movet corpus, fuerit si fortis imago.
Sed caudam colubri abscissam, caudamqve lacertæ
Motantem sese, nunqvid movet ipsa voluntas?
An potius vis illa animæ, qvam nomine Graii
Phantasiam dicunt? ceu qvos vel dira phrenitis,
Vel Bachi liqvor immodicus, vec somnia vexant?
An ratione alia id contingit? forsitan intra
Nodosas caudæ partes vegetabilis ille
Spiritus inclusus, toto conamine qværit
Qva data porta fugam, & sinuosa volumina torqvet
Perqve vias tenues sensim eluctatur in auras:
Vel pars illa animæ, qva corpus sensit, in illo
Stat divisa loco; & motum ciet; arbitror autem
Judicio qvæcunqve carent, non posse dolorem
Aut aliqvid sentire: etenim vis maxima sensus
Cognitione fluit: qvi plus cognoscit, habetqve
Judicium majus, patitur magis, & magis idem
Gaudet: sed stupidi atqꝫ hebetes minus omnia curant,
Læduntur minus, & metuunt minus, & minus algēt

Atqve calent, vix dignoſcunt adverſa ſecundis.
Non igitur qvoniam doleat cauda illa movetur:
Nil etenim ſenit, qvia vis qvæ judicat, illic
Non eſt, ſed capitis parte in meliore remanſit.
Unde prior mihi cauſa magis vera eſſe videtur.
Sic igitur motus fit, qvo viventia ſeſe
Proripiunt; tamen hoc prædictis addimus unum,
Qvod qvandoq; bonum præſens qvum poſſit haberi,
Non movet aut petitur, qvia non cognoſcitur, ergo
Cognitio, motus etiam cauſa eſſe videtur:
Imo præcipua eſt, qvis enim cupit illa petitve
Qvæ prorſus neſcit? cæca eſt per ſe ipſa voluntas.
Nec qvicqvam ſibi velle poteſt ſine lumine mentis:
A qvo ſi fuerit minus illuſtrata, ſiniſtrum
Carpit iter, ſpecieqve boni decepta labaſcit.
Verum hæc de motu ſatis. Hinc videamus, ut ipſum
Viventis corpus grandeſcit, qvomodo fiat
Crementum, & certo cur tandem limite ſiſtat.
Æthereus qvidam eſt ignis, qvi animantia qvæqve
Vivificat clauſus membris ac pectore cæco,
Hunc humor genitivus alit, ceu flamma lucernæ,
Occaſo jam ſole, levi nutritur olivo.
Hic ſtomacho imiſſas epulas coqvit, inde per artus,
Sparguntur partes ſubtiles, unde medullæ,
Oſſa, caro, nervi, ſanguis gignuntur, & omne
Paulatim augeſcit corpus: velut imbribus herbæ
Ac plantæ creſcunt, ſolis virtute juvante.
Si multus fuerit validusqve hic ignis, & humor
Conveniens adſit, qvantum calor ipſe reqvirit:
Fit magnum augmentum: tandem finitur, & ultra
Non tendit, qvum ſit virtus finita caloris:
Qvo demum languente, ſolet decreſcere corpus.

Hoc patet in ſenibus: fiunt hi namqve minores
Incurviqve, cavo ſpectantes lumine matrem,
Deficit ignis enim, & languet calor ille animalis:
Deficit humor item nativus, qvo ſine vita
Stare neqvit: veluti non lucet flamma lucernæ,
Si deſint alimenta illi, redeuntqve tenebræ.
Jam vero motus animi dicamus, & unde
Proveniant: res abſtruſa eſt, tamen excutiemus,
Qva mens noſtra tenus poterit pertingere verum:
Ac de ira primùm. Audaces facit ira, pericli
Contemptrix, auget robur, viresqve miniſtrat:
Qva ſuadente, hoſtem impavidi, Martemq; cruentum
Aggredimur, raptisqve in prælia currimus armis.
Cauſa eſt nimirum ſanguis qvi accenditur, & cor
Flammivomum fellisqve liqvor diffuſus amari.
Iræ etenim ſedes fel creditur, ipſaqve bilis
Materiam præbet ſtimulis, cæcoqve furori,
Hinc, qvæ felle carent animalia, neutiqve poſſunt
Iraſci, pacemqve colunt, ac bella recuſant.
Hinc qvibus eſt ſanguis ferventior, atqve caloris
Vis major, tumidam citius labuntur in iram.
Sic juvenes, ſic & qvorum mera vina replerunt
Plus æqvo fibras, facilè excandeſcere notum eſt.
Ergo anima indignans, bilem qvā ſangvine miſcet.
Deinde manus ad bella armat, mox vulnera fiunt;
Nam prius ipſam animam ledens injuria turbat:
Qvæ turbata, dehinc corpus movet: unde videntur
Errare hi, qvicunqve animam non poſſe moveri
Contendunt: nam ſi nunqvam moveatur, oportet
Stare loco, atq; gradu corpus qvoq; ſemper eodem.
Motus enim varius varium ſimul indicat eſſe
Motorem: ſol mutatur, mutantur & umbræ

Cur nunc has reddunt, nunc illas organa voces?
Nempe qvia huc illuc volitat manus, & diverſos
Dum tactus agitat, varium dat fiſtula cantum:
Sic animæ affectus prius accipit ipſa latenter:
Qvos ubi vult fieri notos, tunc utitur hujus
Aut hujus membri officio, impertitur & illi
Id qvod habet latitans in ſe, ut videatur & extet,
Haud aliter qvàm qvum fido rex dicit amico,
Atq; aperit ſecreta animi, qvæ poſtmodo cunctis
Divulget populis, & divulgata pateſcant.
Sic etiam ſit amor: nam qvũ mens dulce qvid optat,
Uſa miniſterio cordis, tunc pandit amorem:
Corde amor, ira, timor, votum, ſpes, cura, voluptas.
Tanqvam arce in qvadam, cum anima verſantur, & inde
Membrorum officio excurrunt per corporis urbem
At de iſtis alias forſan dicemus abundè
Si Deus annuerit nobis facilesqve Camœnæ,
Sufficiat nunc, affectus fieri prius omnet.
In natura animi, cauſis venientibus extrà:
Deinde hos vel membri vel ſangvinis aut humoris
Cujuscunq; opera effundi, in lucemq; propelli
Juncta etenim cum ſint corpusq;, animusq; neceſſe eſt
Communes motus, comũnia vulnera utriſq;
Accidere, inqve vicem ſeſe mutare: qvod uni
Infertur qvamprimum aliud qvoq; ſentit, habentq;
Sympathiam, tanto ſe fœdere complectuntur.
Poſt hæc de ſenſu, qvoniam properamus ad ipſum
Chelarum finem, breviter mea Muſa loqvatur.
Qvinqve dedit ſenſus natura amantibus illis
Qvæ ſunt perfecta: aſt aliis non tradidit omnes.
Atqve ideo poſſunt meritò imperfecta vocari,
Qvales lumbrici, & talpæ, conchæqve marinæ.

Cocleaqve & ſpinis circumvallatus echinus.
Hos inter ſenſus præſtantior eſſe putatur
Viſus: qvandoqvidem menti certiſſimus hic eſt
Nuntius oſtendens illi qvæ plurima terris
Naturæ ingenio ac mira virtute creantur,
Tot flores, herbas, fructus, animalia, plantas,
Tam multas lapidum ſpecies, tam multa metalla:
Oſtendens etiam qvos paſcit in æqvore Proteus
Sqammiferos populos, & monſtra natantia ponto:
Qvodqve his eſt majus, cœleſtia templa deorum,
Stellarumqve globos & ſancti lumina ſolis: (re
Mitto ea qvæ faciunt homines, qvæ lingva refer-
Nulla poteſt: ergo hic ſenſus pulcherrimus atqve
Optimus eſt, in qvo ſedes bene creditur eſſe,
Præcipuumqve animi hoſpitium: qvotiesqꝫ videre
Aut affari aliqvem volumus, tunc lumina noſtra
Ejus in adverſos oculos intendimus, ac ſi
Totus homo atqve animus totus conſiſteret illic,
Nempe oculos, animi ſpeculum qvicunqve vocarit
Verus erit: nam blandus amor luceſcit in illis,
Apparentqꝫ odium, feritas, clementia, mœror,
Lætitia, improbitas, pietas, prudentia, nec non
Stultitia, ambitio, timor, ira, audacia, culpa.
Sed viſus, qvo fit pacto? diverſa ſophorum
Judicia exqvirant alii, nos prodere paucis
Conemur qvicqvid vero qvadrare putamus.
Scire opus eſt unam eſſe animam, minimamqve
videri
Ut neqveat: tamen innumeris prope viribus aptam.
Qvas illi natura dedit, ſummusqꝫ creator,
Hæc auget, nutrit, generat, movet, afficit, audit,
Guſtat, odoratur, tangit, videt, & cognoſcit:
Qvæ vis præcipua eſt & maxima, cœlitibusqve
Co-

Cognata ac propria: has igitur per corporis artus
Diffundit vires, qvæ certis patribus hærent,
Perqve oculos lucem admittit, variosqve colores
Percipit, atqve omnes dijudicat ipsa figuras
Pupillæ officio, & totum considerat orbem,
Sic qvoqve per nares diversos prendit odores,
Perqvè aures haurit voces, strepitusqve, sonosqve
Per gustum hæc eadem sentit genus omne saporis
Per tactum à calidis discernit frigida, duraqve
A minimè duris, à lævibus aspera, demum
Sunt qvinqve ipsius comites, fidiqve ministri,
Per qvos cognoscit res omnes: qveis sine prorsus
Inscia, lethæo torpebit pressa sopore.
Ergo oculi qvum sint vitrei, densoqve nitore
Perspicui, apprehendunt rerum simulacra, tenentq;
Non secus ac speculum soleat, præsentia qvando
Luminis intersit: cujus virtute creantur
Sensificæ species, fuerit nisi pupula læsa,
Has species menti (capitis namqve arce suprema
Mens habitat, solioqve sedet regaliter alto)
Ostendunt oculi: tunc prudens illa, sagaxqve
Cognoscit rem, cujus adest formalis imago,
Hæc eadem, vocum discrimina mille, sonosqve
Innumeros, mira vi percipit, ingreditur qvum
Incolumes aures aër elisus ab ipsis
Corporibus: namqve est aër tenuissimus, atqve
Mobilis in primis: qvi qvum se corpora pulsant,
Deprensus medio actu, tum dissultat ab ictu,
Irrumpitqve cavas penetrans violenter in aures,
Janua clausa licet fuerit, clausæqve fenestræ:
Usqve adeò tenuis est, & penetrabilis aër.
Qvinetiam pisces, piscantum gurgite ab alto
Horrescunt strepitus, pavidiqve in retia currunt:

Qvippe aër penetrare poteſt in viſcera Nerei.
Inde tument fluctus, inde importuna, minaxqve
Sævit hyems, qva urgente vovent pia munera nau-
Dura igitur qvoties collidunt corpora ſeſe, (tæ:
Aut qvoties aër pulſus vehementer, in illa
Concava præſertim per ſtricta foramina tranſit,
Diverſæ ac variæ fiunt, vocesqve ſoniqve.
Ut varia eſt rerum natura, & forma locorum,
In qvibus ipſe aër gignit vocesqve ſonosqve.
Sic tuba longè alium reddit qvam tibia cantum:
Sic Peluſiacis diſcordant nablia ſiſtris.
Ac veluti jactu lapidis perculſa movetur
Unda in multiplices orbes, ſic percitus aër
Diffundit ſpiras longè lateqve rotantes:
Atqve ideo multis vox inſonat auribus una,
Ut multis etiam ſpeculis una hæret imago.
Aſt odor ut nares intret dicamus, ab ipſis
Rebus pertenues ſumi egrediuntur, & auras
Inficiunt latè: veluti qvum thura videmus
Panchæa aut prunis cinyreia dona cremari.
Fit guſtus linguæ officio, curviqve palati,
Namqve his percipitur rerum guſtabilis humor,
Qvi penetrans tangit ſenſum, ingeneratq; ſapores.
Tactum autem, ſanguisq; & ſpiritus efficiunt, qvi
Paſſim per corpus fluitant: animantibus iſte
Senſus ineſt cunctis, cunctis qvoqve guſtus ineſſe
Creditur: aſt homini meliorq;, & major uter-
qve eſt:
Hinc etiam eſt homini qvàm aliis prudentia major.
Sunt qvi aliter credant fieri prædicta, negantqve
Acceptas oculis ſpecies cauſam eſſe videndi:
Aere nec medio eſſe opus ajunt, ut videantur.
Res, aut audiri poſſunt: namqve omnipotens rex
Tot

Tot vires animæ conceſſit, qvot genera ipſe
Effinxit rerum: ut poſſet comprendere cuncta.
Qvæqꝫ ſuum agnoſcit genus aptè, ac percipit ultro:
At comtemplatur mens omnia, & omnia cauto
Judicio expendit, qvæcunqve à ſenſibus hauſit.
Et verum atqve bonum divino examine librat.
Mens igitur ſol eſt animæ, ſunt ſidera ſenſus.
Sic perhibent qvidam: ſed nos properamus, & iſta
Linqvimus excutienda aliis, finemqꝫ propinqvum
Appetimus: qvia jam chelarum extrema tenemus.
Colligitur tamen ex dictis, ac perſpicitur, qvòd
Eſt anima æthereum qviddam, ſine corpore vivens,
Omnia vivificans, cognoſcens omnia, divum
Qvatenus ille hominum qve pater permiſit: ab illo
Tradita cuiqve rei eſt certa & finita poteſtas.
Illi autem ſoli vis eſt ſine fine, poteſtqve
Omnia qvæ fieri poſſunt, à lege ſolutus.
Nam ſi anima & ſentit, & cuncta intelligit, ergo
Non eſt corporea, aut corpus: qvia corpora nulla
Non terra, unda aër, ignis, neqve condita ab iſtis
Has per ſe vires retinent: non eſt dubitandum
Eſſe animam ſemen qvoddam cæleſte, Jovisqve
Progeniem æternam, qvi tantum cognitionis
Ceſſit, ut im̄enſum valeat comprendere mundum.
Qvid ſi atomi, qvas nonnulli finxere ſophorum,
Sunt animæ potius, qvam corpora? corpora namqꝫ
Omnia ſunt qvanta, & poſſunt utcunqve ſecari:
Nempe anima eſt individua, atqve immaterialis,
Et veluti centrum qvoddam, ad qvod plurima ten-
Linea per ſenſus qvia cuncta feruntur ad illam (dit
Undiqve, ceu fluvii concurrunt undiqve in æqvor.
Qvare illos miror qvi: dicunt tempore eodem
Ipſam animam extingui & corpus, pariterqꝫ perire.

Nam licet hoc eſſet, debet tamen uſqve taceri:
Non ſunt hæc dicenda palam, prodendaq; vulgo:
Qvippe hominum pleriqve mali, pleriqve ſceleſti:
Qvi ſi animam credant nihil eſſe à funere, nilqve
Poſſe pati, poſtqvam ſemel eſt egreſſa, nec ullam
Defunctis pœnam infligi, formidine adempta
In ſcelus omne ruent, confundent fasqve nefasq;
Præterea multi, qvi ſperant poſſe beati
Poſt mortem fieri, & verſari cum Jove ſemper,
Atqve ideo ſeſe dedunt virtutibus ultrò,
Ac bene de multis qva poſſunt parte merentur:
Si poſt fata dari ſibi præmia nulla putarint,
Illico torpebunt, & tot benefacta peribunt:
Tot ſpatioſa etiam templa & ſpecioſa, tot aræ
Inſignes auro & perigrino marmore, demum
Relligio, & pietas, & honor, cultusqve deorum
Ad nihilum venient, ſi homines nil morte relinqvi
Crediderint, animasqve in ventos prorſus abire.
Semiferum vulgus frænandum eſt relligione.
Pœnarumqve metu: nam fallax atqve malignum
Illius ingenium eſt ſemper, nec ſponte movetur
Ad rectum: virtus inviſa moleſtaqve vulgo eſt.
Religio generis decus eſt & gloria noſtri,
Qvæ nos conciliat ſuperis, & jungit olympo.
Nemo igitur bonus & prudens audebit apertè
Dicere, mortalem eſſe animam, & corrumpere vulgus.
Nunc tamen eſt multa nobis ratione probandum,
Hanc eſſe immunem lethi, æternamqve manere,
Ut Chriſti cultor teſtatur, bruciphagusqve
Judæus credit, præputia noſtra peroſus:
Qvæ Deus haud faceret, ſi non facienda putaret:
Ac gens ferme omnis concordi prædicat ore.

Prin-

Principio, qvicqvid ſimile eſt magis omnipotenti
Cunctorum domino, diuturnius eſſe fatendum eſt,
Perfectumqve magis: nam qvod durabile non eſt,
Sed cito dilapſum perit, imperfectius eſſe
Qvis neget? atqve ideo durant cœleſtia ſemper,
Qvod divina magis ſunt & perfecta: ſed iſta.
Proxima qvæ terris, qvæ cœlo amota videntur,
Qvum ſint imperfecta, brevi fugiuntq; caduntqve,
Ergo animus noſter, qvum vita & cognitione
Divinæ ſimilis naturæ appareat, intra
Corporeos fines claudetur? nec magis ipſe
Qvàm caro durabit, neqve vivet longius ævum?
Præterea corrumpi animus neqvit: hac ratione,
Qvod ſimplex, & materia ſecluſus ab omni eſt,
Huc accedit item qvod corpore debilitato
Vis animi creſcit: qvare imbecilla ſenectus
Conſilio ſuperat juvenes, mentisqve vigore.
Ingenio plerumqve caret qvi robore præſtat.
Raro utrumqve Deus cuiqvam largitur, ut idem
Sit ſapiens, & ſit robuſto corpore pollens.
Qvare, ſi longo fractis jam viribus ævo,
Fortior eſt animus, non ipſe à corpore pendet,
Sed per ſe eſt aliud qviddam, & poſt funera vivit.
Nonne etiam qvum pes dolet, hunc mens ipſa dolorem
Indicat? haud dubium eſt: ſed qvomodo mentis ad arcem
Pervenit iſte dolor? num ſurſum tendit ab imo,
Paulatim aſcendens ut fumus? non: qvia multæ
Partes, non ſolùm (ſi ſic) pes ipſe doleret,
Nec pedis, at potius partis qvæ proxima menti.
Tunc ſentiretur dolor: unde probatur apertè,
Corpoream non eſſe animam, & ſic morte carere,

Qvum medii nullius egens diſtantia tangat.
Adde his qvod qvoties reminiſci aut fingere qvicqvam
Egregie volumus, vel qvicqvam intelligere aptè.
Tunc animum revocare opus eſt à ſenſibus, unde
Nonnulli ut melius meditentur, lumina claudunt,
Aut ſeſe à turba abducunt: loca ſola petentes:
Vel qvum nox piceo terras velamine texit;
Et jam lethæo torpent animalia ſomno,
Pervigilant, tacitiqve toro, extinctaqve lucerna,
In tenebris acuunt contractam à corpore mentem.
Nempe animum turbant ſenſus: populantur eundem
Affectus, redduntq; hebetem involvuntq; tenebris
Non ſecus ac nitidum prætexunt nubila ſolem.
Ergo ſi propriis reſides penetralibus, intra
Ipſe ſuas latebras, fugiens à ſenſibus, atqve
Corporeis crucibus, melius ſapit: eſſe profecto
Qvum poterit liber, moribunda à carne ſolutus.
Cuncta animus meliore modo cognoſcit, & ipſi
Hærebit vero magis ac perfectius abſqve
Corpore, & æternum vivens durabit inævum.
Deniqve qvum ſit homo medius bruta inter & ipſos
Cælicolas, commune aliqvid retinebit utrisqve.
Corpus brutorum eſt, animi natura deorum.
Altera pars moritur, neſcit pars altera lethum.
Non igitur prorſus delet mors omnia: namqve
Lethiferis animus lædi neqvit ipſe ſagittis:
Prædictis etiam poſſum connectere, qvod ſi
Nil ſuperat noſtri poſt fata, videbitur eſſe
Injuſtus Deus, atqve malis præbere favorem.
Qvippe hi dum vivunt, lætis plerumqve fruuntur,
His neqve divitiæ deſunt, neqve grata voluptas.

Hos decorat præclarus honos, & gratia vulgi
Contrà ſæpe bonos vexat fortuna, malignis
Caſibus involvens: nunc paupertate premuntur,
Nunc morbis, aliqvo ſemper triſtantur amaro:
Qvare animus buſto ſupereſt, ſcelerumqve ſuorum
Dat pœnas: vel ſi bonus eſt, bona præmia ſumit.
His aliisqve modis multis oſtendere poſſem
Im̃ortalem animi naturam, incorporeamqve
Sed ſatis eſt: jam me finis vocat; haud eqvidem ſum
Neſcius, harmoniam dici qvoqve, non tamen aptè,
Ipſam animam: ac veluti miſtis ex vocibus exit
Harmonia, & variis fiunt bona pharmaca rebus
Compoſitis ſimul, unde oritur vis ipſa medendi:
Sic elementorum certa ratione modoqve
Junctorum, & cœli pariter virtute creari
Qvidam animam rentur: qvæ partim corporis intra
Septa manet, partim cauſas ſortitur ab extra.
Ut viſus, virtute oculi, externoqve creatur
Lumine: nam cælum cauſa eſt, qva hic omnia fiunt:
Qvo ſine nec tellus qvicqvam, nec gigneret æqvor.
Nimirum hæc falſa eſt, & peccat opinio: namqve
Si ſic, non poſſet corpus conſurgere contra,
Et carni unde oritur capitale indicere bellum
Ipſa anima, & vario motu in contraria ferri?
Sed ſemper foret una eademqve, ut qvælibet eſt vis,
Qvæ ſolet ex miſtis divino numine naſci:
Ut patet in genere herbarum, gemmisqve beatis.
Qvidam etiam cenſent, animam nihil eſſe ſoluto
Corpore, qvòd ſomnus, qvi mortis fertur imago,
Et ſenſum & mentem nobis auferre videtur;
Vel qvia diverſis cauſis ægreſcere cernunt,
Ac multis variisqve modis, ne munere poſſit
Ipſa ſuo fungi, mentem lædiqve premiqve

Aſpi-

Aſpiciunt, nec non cum corpore creſcere, & unà
Deficere, ut patet in pueris, ſenibusqve, viriſqve,
Ignarus puer eſt, prudens vir, deſipit ætas
Ultima, corrumpit corpusq; animumq; ſenectus.
Qvinetiam dicunt: Si anima eſt divina, poteſtq;
Vivere ſe juncta à membris mortalibus, ut qvid
Se miſeræ carni inſinuat? cujus vitio tot
Perpetitur mala, & admitit tot flagitia? ergo
Stulta eſt, ſi ſponte hoc facit: at ſi invita nefandas
Corporis ingreditur latebras, qvis cogit? an ipſe
Juppiter? ergo Deus neqvaqvam hanc diligit: imò
Carcere qvam clauſit tam turpi, odiſſe videtur.
Et qvum nec corpus, nec qvanta exiſtat, ab ipſo
Corpore non credunt ulla vi poſſe teneri.
Præterea per ſe (niſi diſcat ſollicitè) qvum
Nil ſciat, ac ſubeant per crebra oblivia mentem:
Per ſe animum nihil eſſe putant poſt corporis uſum.
Diſcere tunc etenim poterit nil, ſenſibus ipſis
Corruptis morte, unde omnis doctrina paratur,
Qvidam ajunt unam aſſe animam duntaxat in orbe,
Qvæ vitam tribuat cunctis viventibus: ut ſol
Unicus, eſt oculis animantum cauſa videndi.
Æternamqve putant illam, licet extinguantur
Corpora: ut extinctis oculis æternus adeſt ſol.
Has non difficile eſt nugas ratione potenti
Vincere: ſed vereor ne ſim prolixior æqvo.
Non deerit qvi rectè iſtis reſpondeat olim
Qvæſitis, nodosqve omnes diſſolvat ad unguem.
Vir macte ingenio, vivet tua gloria mecum,
Noſtraq; (qvid dubitas?) laudabunt ſcripta minores
Aude opus egregium, & cœleſtia diſſere terris,
Unum hoc adjiciam. qvod qvivis noſſe valebit:
Æternam eſſe animam, & divino ſemine natam,

Si ſenſus atqve affectus compreſſerit omnes.
Si ſpernens prorſus mortalia gaudia ſeſe
Abdicet à curis terrenis, aſſiduoqve
Conetur ſtudio ad ſuperos extollere mentem;
Tunc etenim ſapiens fiet, poteritqve futura
Cernere, vel vigilans, vel ſomno oppreſſus inerti.
Hoc pacto cecinere olim ventura prophetæ.
Sobrius ergo animus propior fit ad æthera, qvanto
A terris magis, atqve à carnis amore recedit.
At pecudum ritu ſeqvitur pars maxima ſenſum.
Nec bona cognoſcit niſi qvæ ſunt corporis: hinc eſt
Qvod pleriqve putant animam ſuccumbere morti,
Qvandoqvidem neqveunt infirmo lumine qvicqvam
Divinum ſpectare, atra caligine preſſi.
Sed de anima ſint iſta ſatis: redeamus ad ipſum
Auctorem mundi, qvem concludamus ab omni
Corpore ſe junctum & ſine corpore millia multa
Eſſe, qvot in ſilvis frondes gignuntur opacis:
Vel ſi corpus habent, tenue eſt, nec prorſus ab ullo
Percipitur ſenſu, ſed ſola mente videtur.
Atqve hæc in primis ſunt entia vera, ſuiqve
Juris: nulla etenim carnis contage laborant.
Tu verò hic jam Muſa tace: mox qvum volet ille
Qvi mea labra movet, mecum ſcrutabere cauſas
Rerum qvas fieri ſub Lunari orbe videmus,
Contingant fato, an nulla ratione ferantur,
Interea dum ſol Nemæi terga leonis
Torret, & inſanæ ſub opaco fronde cicadæ
Ingeminant raucos ſtrepitus, qværamus in umbra
Aut lauri aut myrti ſuavem ſpirantis odorem,
Propter aqvæ crepantis iter Pimplæa, qvietem.
Ipſa qvies animum reficit, revocatqve vigorem.

Mox ubi regreſſæ fuerint poſt otia vires,
Rurſus ad altiſonos (adſis modò diva, tuoqve
Numine me foveas) tentabo accedere cantus:
Et ſi fortè mihi vultu fortuna benigno
Auxilium tulerit, longos miſerata labores,
Pauperiemqve procul, curasqve fugarit amaras.
Totus ero tecum, tuaqve intra limina ſemper
Verſabor, ſola hæc fuerint ſolatia nobis:
Tunc Aganippæis ubertim explebimur undis,
Inſuetumqve melos Cirrhæa in rupe canemus.

LIBER OCTAVUS.

Synopſis LIBRI VIII.

De fato hic agit author, qvod definit: id qvod Deus ſemel fatus eſt, à qvo omnium cauſarum ſecundarum ſeries dependet: unde caſum & fortunam nil niſi nomina inania ſine ſenſu eſſe rectè concludit. Providentiam Dei cum libero arbitrio conciliare annititur; explicando qvid ſit liberum arbitrium; nempe rectæ rationi obediens: qvod Dei providentiæ non adverſari, verum cum ea ſemper concurrere probat. Cumqve animi affectus rectæ rationi bellum continuo moveant, his demum debellatis mens humana libera dici meretur, qvæ ſi contra libidinibus indulget, & ab illis qvocunqve rapitur, minimè libera dici poteſt: qvam ſententiam fuſe tractat & adſtruit. Duas tresve alias objectiones proponit, in qvarum ultima reſolvenda nimium Epicureis favere, Deumqve humana non curare, contra ſuperius allata, ſtatuere videtur. Poſtremo tandem objectionem, qvare boni ſæpe miſeri, mali vero haud

raro fortunati evadant; diſtinguendo inter animi & corporis, ſive vulgi & ſapientum bona, feliciter ſatis reſolvit, & per totum porro librum, Dei providentiam à pravis conſeqventiis virili vindicat.

SCORPIUS.

CUR tam diverſo mortalia tramite pergant,
Hæc in honore ævum ducant feliciter, illa
In tenebris jaceant, multo vexata labore,
Pieri pulchra doce: tibi enim fas noſſe deorum
Conſilia, & rerum cauſas aperire latentes.
Sunt qvi cuncta putent cæco contingere caſu,
Nec mundum ratione regi, qvod plurima cernunt
Indignis decorata bonis, & plurima contra
Indignis agitata malis, diſcrimine nullo
Prudentes juſtosqve premi, regnare ſceleſtos,
Virtuti vitium præferri, & templa cremari
Fulminibus, prodeſſe etiam ſua crimina multis.
Talia qvum fieri videant, pars maxima credunt
Aut non eſſe deos, aut illos ſpernere qvicqvid
In terris fiat, ſoliqve incumbere cœlo.
Hinc temere incertoqve ajunt ferri omnia caſu.
Aſt aliqvi tibi dant regimen Fortuna, vocantqve
Te dominam rerum mortalia ſceptra tenentem,
Inſtabiliqve rota verſantem cuncta protervè,
Erexitqve aras tibi qvondam ignara vetuſtas,
Et cecidit votiva tuis ſæpe hoſtia ſacris.
Non deſunt qvoqve qvi committant omnia fatis,
Et credant certis fatorum legibus orbem
Diſponi atqve regi, æterno ſtabiliqve putantes
Ordine, ceu choreas & pompas, cuncta moveri,
Cuiqve ſuas partes tribui, ac ſi fabula agatur.
Qvas implere opus eſt, dum totum tranſigat ævum,

Utilis eſt certè, & pulcherrima, difficilisqve
Qvæſtio, nec noſtris prætermittenda Camœnis.
Nunc igitur primum dicamus, qvòd ſine cauſa
Eſſe poteſt nihil, aut fieri: ſed cauſa neceſſe eſt
Ut ſuo ab effectu diſtet, diverſaqve res ſit;
Qvandoqvidem nil ſe gignit, nil provenit à ſe,
Nilqve ſui cauſa eſſe poteſt: ergo infinitus
In cauſis proceſſus erit? minimè: ſed oportet (do
Nimirum eſſe aliqvid primum, à qvo maximus or-
Cauſarum incipiat, qvi à ſummo tendit ad imum.
Hanc igitur ſeriem cauſarum diximus eſſe
Fatum: qvod Deus ipſe ſemel qvaſi fatus, ut iſta
Omnia ſic fierent, decrevit lege perenni.
Sed qvo qvæqꝫ magis cauſa eſt contermina primæ,
Et vicina, hoc eſt aliis mage digna, potensqve,
Subjectasqve ſibi movet, ac dominatur eisdem.
Ens primum cauſa eſt, & non effectus: at imum
Effectus tantum debet, non cauſa vocari.
Qvæ media exiſtunt, his nomen adhæret utrumqꝫ.
Qvod ſi cauſarum non eſſet nexus & ordo
Perpetuus, ſi alia ex alia non pendeat, ac ſi
A ſummo junctis nodis ducatur Olympo
Longa catena, uſqꝫ ad nigri regna infima Ditis:
Qvod dictu abſurdum eſt, plura uno prima dabun-
Principia, & cauſæ primæ multæ invenientur (tur
Tunc diſcordabunt inter ſe, ac magna ciebunt
Prælia tot reges, qvia regni ſumma poteſtas
Non patitur plures: ſic mundus non erit unus,
Nec pulcher: namqve eſt ordo pulcherrima rerum.
Sed dicet fortaſſe aliqvis, deſcendere ab uno
Principio rerum ſummo plures ſimul, inter
Seſe diſtinctas cauſas, ut ſolis ab orbe
Plures emanant radii diſcrimine qvodam
Dis-

Disjuncti, qvorum non hic dependet ab illo,
Sed pariter cuncti à fonte egrediuntur eodem:
Sic non eſſe opus ut pugnent ſeſeqve viciſſim
Impediant: ſiqvidem via non eſt omnibus una.
Non modus hic malus eſt, non hæc ſententia multum
Diſplicet, at forſan vera eſt: tamen aſpiciamus
Interius, procul excuſſis à mente tenebris.
Qvippe humana neqvit mens lucem attingere veri
Tam citò tam facilè, & falli ſolet ipſa freqventer.
Hinc tam diverſæ ſectæ, & contraria dicta.
Hic ait, ille negat: propria eſt ita opinio nobis,
Ut divis ratio: certi mortalibus eſt nil.
Ergo ſi plures cauſæ ſunt immediatè
A prima (ut dictum eſt) qværo an ſit qvælibet æqvè
Perfecta: haud ullus tunc ordo patebit in illis.
Namqve ubi nil primum, & nullus gradus, aut diſcrimen
Cernitur, ordo illic poterit qvoqve nullus haberi,
In qvovis genere invenies primum, mediumqve,
Nec non poſtremum: genus eſt abſq; ordine nullum:
At ſi non æqvè perfecta eſt qvælibet, ergo
Imperfectum aliqvid Deus efficit? hoc mihi dictu
Difficile eſt: aliis poſſum concedere cauſis,
Qvare unus primæ cauſæ tribuatur, & idem
Optimus, atqve omni perfectus parte putetur
Effectus: reliqvas autem, qvo qvæqve recedit
A prima magis, hoc plures, minus at perfectos
Crediderim facere: ut plures qvoq; gignere fructus
Arbor non bona conſuevit, ſed deteriores.
Semper plura bonis mala ſunt, & triſtia lætis.
Verum inter cauſas qvo qvæqve potentior, atq;

Altior eſt, hoc & vitæ & rationis habet plus,
Simpliciorqve eadem, magis & ſubſtantia pura eſt.
Inferior contra qvæcunqve eſt, debiliorqve,
Poſſidet illa minus vitæ, minus & rationis.
Sed concreta magis à ſubſtantia abhorrens.
Qvod patet in terris: ubi parvo tempore durant
Omnia, ubi ratio apparet vix ulla, ubi purum
Nil eſt, ſed multis ex rebus omnia conſtant.
Miſta & compoſita in terris ſunt cuncta, videri
Ut nuſqvam poſſit ſubſtantia: qvin nihil ipſa
Penditur, hic, ſolis honor obtingentibus illi eſt:
Conditur illa intus, cæſis abſtruſa latebris.
Hinc eſt qvod pluris bona corporis ac fortunæ
Fiunt qvam virtus animi: ſubſtantia namqve eſt
Fermè hominis virtus: at in hoc ſubſtantia mundo
Exulat: ille etenim patria & domus, & ſua ſedes
Cœlum ubi habent fidos comites, verumqꝫ bonum.
Hoc igitur pacto ex cauſis contexitur orbis, (qve:
(Ut dictum eſt) ſervans æterno fœdere cuncta:
Nec talem, niſi fortè Deus, ſolviſſe catenam
Ulla poteſt vis, aut ſeries immenſa dierum.
Ex his qvicqvid erit, vel nunc eſt, vel fuit olim,
Exoritur cauſis, vires qvibus omnibus ipſe
Rex ſuperum, certis metis, & tempore certo
Conſtituit, certisqve modis procedere juſſit.
Atqvi non neſcire opus eſt, concurrere plures
Interdum cauſas, ut qvicqvam fiat ab illis.
Contingit tamen haud temere hic concurſus, & iſta
Miſtio cauſarum, ſed fatorum ordine certo
Cuncta meant, certis ſubjecit legibus omnia
Omnipotens ille aſtriferi faber amphitheatri,
Menſuramqve dedit rebus, qvaſcunqve creavit,
Qvare non verum eſt qvod nonnulli aſſeruere,

Eſſe nihil certi in rebus, contingere caſu
Omnia, nec curare Deum mortalia qvenqvam.
Errant nimirum qvibus hæc ſententia adhæſit.
Qvandoqvidem caſus nihil eſt, niſi opinio qvædam
Futilis, haud multum diſtans ab imagine ſomni,
Qvicqvid Ariſtoteles, vel qvivis dicat, eorum
Dicta nihil moror, à vero qvum fortè recedunt.
Sæpe graves; magnosqve viros, famaqve verendos
Errare & labi contingit, plurima ſecum
Ingenia in tenebras conſuerunt nominis alti
Auctores, ubi connivent, deducere eaſdem:
Tantum exempla valent, adeo eſt imitabilis error:
Nemo putet ſibi me addictum, mihi flectere men-
Sola ſolet ratio, ratio dux fida ſophorum eſt: (tem
Hanc ſcrutator amet veri, inprimisqve ſeqvatur.
Qvod vero caſus nil ſit, me credere cogit
Ipſa rata atqve potens ratio: nam ſi omnia certis
(Ut dictum eſt) caſis certo ordine, tempore certo
Supremi juſſu rectoris progrediuntur,
Qvo ſit perfectus mundus, ne noxius error
Tantum ſolvat opus, qvam ſedem caſus habebit,
Ambiguus, varius, Vertumnum & Protea vincens?
Ut vacuum, ſic & caſum natura recuſat.
Incertum in mundo nihil eſt, ſunt omnia certa:
Ipſe Deus, natura, æther, elementa, & ab illis
Qvicqvid vel factum eſt, vel fit, vel fiet in ævum.
At ſi qvid foret incertum, non omnia certè
Mens ſciret divina, aliqvis cadet error in illam
Qvod dictu abſurdum eſt: nam qvi facit omnia, novit,
Omnia, nilqve poteſt ipſum ulla ex parte latere.
Qvanqvam aliqvi dicunt, qvod ſi mortalia noſcet
Ætherei mens illa patris, vileſceret: atqvi

Errant: namq; malus nemo eſt, qvia non bona nōvit,
Nec vilis, qvia non pretioſa intelligit: albus (
Non fit proinde aliqvis, qvod rem bene percipit albam:
Nec ſol deterior, qvoties illuſtrat iniqvos:
Nec qvia fortè lutum radiis ferit, eſt ideo ipſe
Fœdus: non ſordet lumen qvum ſordia tangit:
Sic non vileſcit qvum vilia fortè capit mens:
Imo decet noviſſe malum, at feciſſe nefandum eſt.
Ergo deus nil ignorat, ſcitqve omnia qvæ ſunt,
Qvæqve fuere olim, & qvæ mox ventura ſuper ſunt
Qvæ niſi certa forent, ſciri non poſſe fatendum eſt,
De certis etenim tantum ipſa ſcientia habetur,
Qvinetiam vates, referunt ſi qvando futura
Prædicunt certosqve dies, & nomina rerum
Certa canunt: qvod non fieret niſi qvæqve futura,
Certa forent, veluti qvæ ſunt, qvæ & præterierunt.
Attamen hic fieri caſu nonnulla videntur:
Ut ſi imbrex dejecta alto de culmine tecti
Vi boreæ qvenqvam feriat, vel ſiqvis opertos
Theſauros reperit, puteum dum defodit alte:
Talia nimirum caſu contingere vulgus
Autumat: aſt eadem non eſt ſententia nobis.
Nam licet eveniant præter ſpem talia multa,
Incertis nobis atqve imprudentibus; ergo
Proterea in rebus debemus ponere caſum?
Noſtrum ſcire qvidem, aut neſcire, nihil variat res.
Non eſt proinde ignis calidus, nix alba, nitens ſol,
Qvod ſcimus ſic eſſe: imo magis ordine verſo,
Naſcitur ex ipſis humana ſcientia rebus:
Atqve ideo ſcimus ſic eſſe, qvod ipſa ita res eſt,
Et mens noſtra poteſt falli, non res: ego de re
Nunc loqvor, & qværo an caſus dominetur in illam.
Nec

Nec mihi nunc cura eſt fieri rem nec ne ſciamus.
In nobis igitur tantum, non rebus in ipſis
Eſt caſus: qvoniam fieri caſu illa putamus,
Qvorum cauſa latet nos, ipſis cognita divis.
Omnia certa igitur: nam motu ſemper eodem
Verſatur cœlum, atqve eadem naſcuntur eiſdem
Seminibus ſemper, ſemperqve elementa tenorem
Ipſa ſuum ſervant: & partes annus eaſdem
Semper habet: ſiqvidem poſt ver, ferventior æſtas
Extemplo ſubit, hanc pomis comitatus & uvis
Autumnus ſeqvitur, poſt qvem ſua frigora ſecum
Ducit hyems, gelidisqve Aqvilonibus omnia torpent.
Non herbæ mutant vires: animalia ſemper
Ex iiſdem conſtant membris, & moribus iiſdem.
Nec fieri aut errore, aut caſu monſtra putandum,
Qvum certas habeant cauſas, ut triſtia monſtrent:
Unde illis nomen, qvare & portenta vocantur.
Sponte ſua hæc natura facit: qvæ ſæpe jocatur
Informes edens partus, ludicra creando:
Ut pictor, qvi cauſa animi qvandoqve figuras
(Sit licet ipſe opifex bonus, egregiusqve magiſter)
Gibboſas, naſo ingenti, labroqve tumenti,
Pingit, digna ſatis vano ſpectacula vulgo.
Ergo cuncta modo qvum ſiant ſemper eodem,
Rarus & inſtabilis caſus nil juris in orbe
Prorſus habet: qvem ſumma Dei ſapientia torqvet:
Ut facile agnoſcet qvi qvam miro ordine, qvamqve
Perpetuò, qvám concinnè & bene machina mundi
Condita ſit, ſecum reputet, qvàm membra animantum
Sint propriis aptisqve locis diſpoſta, ſuisqve
Utilia officiis & convenientia pulchrè

Qvàm nihil incaſſum faciat natura, Deusqve
Qvi ſecum hæc reputat, non caſu, ſed ratione,
Conſilio, juſſuqve Dei fieri omnia dicet.
Sed nunqvid fortuna regit mortalia ſicut
Non pauci credunt? pulchrum & laudabile ſcitu eſt
Hoc qvoq; qvare animi vires huc flectere oportet.
Ipſa tamen fortuna prius cognoſcere qvid ſit,
Eſt operæ pretium, hanc priſci coluere, putantes
Eſſe deam qvandam terris, cœloqve potentem:
Atqve illi ſtruxere aras & vota tulere.
Aſt ego non reor eſſe deam, nec cœlicolarum
Fœmina vel mas eſt qviſqvam, nam ſexus ab illis
Prorſus abeſt: nec gignuntur, nec morte teruntur,
Ut qvidam cecinere olim: fortaſſe putantes
Eſſe deos noſtri ſimiles: ô pectora cæca!
O capita Anticyræ ſuccis curanda meracis!
Creditis eſſe deos, ut nos? thalamosqve dearum
Ingreſſos, blando compreſſu gignere prolem?
Ergo Deum qvendam potius dicamus, & imum
Degeneremq; ideo terræ pelagisq; tenentem
Vilia regna, ubi tot ſunt crimina, totq; dolores,
Tot peſtes, ubi nil tutum: namqve inſidiarum
Omnia ſunt plena & fraudum, Deus iſte vocatur
A Chriſto & Paulo princeps mundi hujus: eundem
Laurigeri appellant Ditem ac Plutona poëtæ,
Qvi ſtultis favet atqve malis, inſontibus aſper,
Hæc domus, hæc ſedes, hæc tali digna tyranno
Regia, qvem vulgò Fortunam dicimus: atqvi
Omne malum eſt infra lunam: nox atra, procellæ
Terribiles, frigus, calor importuna ſenectus,
Pauperies maleſuada, labor, dolor, improbitas, mors
Supra autem lunam, lucis ſunt omnia plena,
Necnon letitiæ, & pacis: non tempus, & error,

Et mors & senium est illic, & inutile qvicqvam.
Felix ô nimium felix cui sedibus illis
Tam pulchris, & tam jucundis, tamqve beatis
Vivere concessum est supremi munere regis
Cæterùm opinantur qvidam, plenum esse deorum
Mundum hunc, & multos insorum degere vitam
Aëris in campis latis, qvos dæmonas Argi
Indigitant, curamqve hominum gerere atqve ani-
mantum
Qvotqvot alit tellus, & neufraga Amphitrice:
Arbitrioqve suo bona vel mala tradere, honores,
Gaudia, divitias, atqve his contraria: qvare
Grande operæ pretium est, illis utcunqve placere:
Qvod fieri & sacris & carmine & arte magorum
Censent nonnulli: ac nobis (modo rite vocentur)
Apparere ajunt, nostrisqve adsistere votis:
Nilqve homini melius contingere posse, nihilqve
Dulcius in vita qvàm conversarier istis
Cum diis, præsentes affari, audire loqventes:
Qvod certè paucis mortalibus arbitror esse
Concessum: justis tamen, & qvi desidiosæ
Illecebras carnis, lascivaqve gaudia temnunt,
Terrenasqve abigunt curas, cœlestia tantum
Mirantes, tantumqve pium rectumqve colentes.
Qvanqvam etiam sunt qvi credant, hos dæmonas
inter
Esse malos qvosdem, atqve malis parere, coactos
Carminibus magicis, fieriqve hoc plurima pacto
Turpia; nil moror hoc, nec nunc locus, ultima so-
Sidera, sqamosis radiantia fratribus, istud (lis
Forsitan expedient, ubi de diis plurima dicam,
Si Deus ipse volet, qvi nunc mihi carmina dictat.
Missa ergo hæc faciamus, ego vix credere possum;

EſſeDeum qvenqvam pravum,ſapientia nunqvàm
Peccatum parit: at contrà eſt inſcitia mater
Erroris, culpæ, & ſceleris: mihi nemo videtur
Sponte malus: vult namqve bonum ſibi qvæq; vo-
Semper, judicio niſi falſo decipiatur. (luntas
At dæmon ſapit, id nomen ſi convenit illi
Verum utcunqve ſit, aut terras fortuna gubernet,
Dæmones aut ipſi humanas moderentur habenas,
Nil extra fatum eſt, metiturqve omnia ſummi
Mens regis, cujus ſine nomine fit nihil uſqvam.
Sed: dubium eſt dictis oritur, nodusq; profecto
Difficilis, qvalem Alcides vix, aut Macedum rex
Solveret: hoc multorum animi turbantur & hæ-
rent.
Nam ſi cuncta jubet fatum, & fieri illa neceſſe eſt.
Libera non nobis, non diis eſt ipſa voluntas:
Tollitur arbitrium prorſus, nec præmia virtus,
Nec pœnas vitium (qvod dictu eſt turpe) meretur.
De diis non locus eſt nunc dicere, ſed ſpeculemur
De nobis qvid ſit: deqve his qvæ ſubdita noſtro
Sunt generi, & poſſunt humana luce videri.
Dico igitur qvod in his qvæ ſub ditione locantur
Fortunæ, nihil eſt ſine fati numine nobis.
Divitiæ, ſiqvidem, ſolatia, gaudia, honores,
Imperia ex alto veniunt: nec noſtra voluntas
Hæc tribuit: qvis enim nollet ſibi talia, ſed nil
Velle juvat, potiusqve nocet, ſi fata repugnant
Qvàm multi fatis in vitis tendere ſurſum
Conantur, magis atqve magis, ſed ad ima recurrunt
Semper, & augeſcunt fato adverſante ruinæ!
Contra illi qvibus aſtra favent, ullo abſqve labore
Nec ſperata qvidem, ſed ſponte oblata freqventer
Commoda percipiunt: qvorum Rhamnuſia rete,

Dum

Dum ſtertunt, multo diſtentum piſce reducit.
En aliqvos claro de patre ac divite naſci
Cernimus, atqve frui primo cum lacte repertis
Deliciis, & nutriri in faſtigia rerum,
Ut præſint aliis, indigni ſæpe, regantqve
Ipſi oculis capti luſcos, vivantqve licenter,
Aſt aliqvi obſcuris miſerisqve parentibus orti,
In pœnam & lacrymas, magnum caſſumqꝫ laborem
Aſſiduè tolerant, nullaqve expellere poſſunt
Sedulitate famem, ſemperqve in ſordibus hærent.
Qvis neget hæc ſatis contingere damna ſiniſtris?
Sunt formoſi, agiles, robuſti corpore multi:
Multi etiam turpes, ægri, imbellesqve creantur:
Unde iſtud? nunqvid meritis aut crimine noſtro
Aut noſtro arbitrio fieri dicemus? ab ipſo
Nimirum hæc veniunt mortalibus omnia fato
Deniqve jus rerum noſtrarum, & corporis hujus
Fatum habet: eſt penes hoc etenim genus horaqve mortis,
*H*ic laqveo, hic ferro, hic flammis, hic frigore, hic undis
Ille fame, ille cibo moritur: multiqve dolore,
Aut morbo, aut caſu intereunt, ſeniove fatiſcunt.
Certa dies lethi eſt cunctis, diſcrimina nulla
Ætatis: nec fas vivendo excedere metas,
Præſcripſit tetrici qvas cuiqve potentia fuſi.
Sic periit ſcirpo magni laudator Achillis;
Sic olim, dum Trinacriis ſpatiatur in oris
Æſchylus, occubuit valido teſtudinis ictu.
Sic paſſæ, Anacreon, te granum perdidit uvæ.
Heu qvot habet mors ſæva vias, artesqve nocendi!
Qvo magis eſſe procul credis, magis imminet. unde
Certius eſt qvam mors, qvam mors incertius eſt nil,
Nonnulli tamen aſtrorum qvi noſcere vires,

Et

Et magni ſecreta poli pertingere poſſunt,
Fatidici vates etiam, qvi numine pleni
Neſcio qvo, ventura vident, prædicere mortis
Sæpe ſolent genus atqve diem, qvia certa futuri
Natura eſt veluti præſentis præteritiqve:
Certa (inqvam) in cauſa prima, cauſisqve ſecundis,
Qvæ nexu longo à prima extenduntur ad imam.
Aſt animi qvæ ſunt bona vel mala, nunqvid ab ipſo
Proveniunt fato? ingenium ac doctrina videntur
Hinc manare, etenim poterit qvis diſcere, ſi non
Polleat ingenio, ac vires natura miniſtret,
Si fortuna obſtet, vel pravo in corpore languor?
Hic rhetor, ſophus ille, alius myſteria divum,
Sidereasve plagas qværit: ſunt & qvibus undæ
Caſtaliæ vili cum pauperate bibantur,
Et placeat cognata fami dulciſſima fama:
Hæc ſtudia unde fluunt? à rerum præſide fato:
Hinc omnes artes, & munia diffunduntur.
Diverſis etenim gaudet natura miniſtris,
Ut fieri diverſa qveant, ornantia terras:
Nec patitur cunctos ad eandem currere metam,
Sed varias jubet ire vias, variosqve labores
Suſcipere, ut vario cultu ſit pulchrior orbis,
An verò mores fatum, vel noſtra voluntas
In nobis pariat, permagni inqvirere refert?
Nec parvus labor eſt hac in re tangere verum,
Arbitrii certè remanet qvota portio noſtri?
Actum eſt de nobis, libertas prorſus adempta eſt
Humano generi, ſi fati ſumma poteſtas
Eſſe malos cogat nos, invitiqvi trahamur
In ſcelus, & nulla liceat ratione reniti.
Qvare operæ pretium eſt huc totam intendere mentem:

Et qvantum Deus ipſe ſinit, verum excutiamus.
Principio arbitrium qvid ſit nos dicere oportet.
Arbitrium eſt, homini data libera & ampla poteſtas
Ab Jove, qvæ libeant juſta aut injuſta ſeqvendi:
Non ideo tamen ut peccet virtute relicta:
Sed contra, ut vitium vitans incumbat honeſto.
Nam malefacta nocent, laudem benefacta merentur
Qværendum ulterius, nunqvid ſi in omnibus æqvè
Arbitrium? nunqvid qvocunqve in tempore duret?
Non certè in pueris, nec in illis eſſe videtur
Qvos animi vehemens nimium vel corporis angit
Morbus, vel qvorum ſopor occupat altus ocellos:
Qvandoqvidem ſomnus mortis perhibetur imago,
Qvare ſi verum ſubtili indagine qværas,
Invenies paucos inter tot millia, qvi ſe
Arbitrio moveant, & libertate fruantur.
Ætatis culpam mitto, puerilibus annis
Ignoſco: & veniam damus his qvoqve lumina qvorum
Letheus preſſit ſopor, aut qvos fervida torret
Febris, vel morbi ſtimulat vis durius æqvo.
Magna qvidem turba hæc: ſed longè major eorum
Longè & deterior qvorum mens oblita fœdis
Criminibus, morbisqve animi labefacta recedit
A ratione procul, rectoqve à tramite vitæ.
Nunqvid habent iſti arbitriũ? aut dicenda voluntas
Libera in his? nempe ambiguum eſt, multiq; negarunt.
Unde advertendum, qvòd liber ſolus haberi
Debet qvi recta regitur ratione, nec ullo
Vincitur affectu, nec ventorum impetu vaſto
Fertur in undifragos ſcopulos, ſed fortiter obſtat,
Intrepidusqve hæret clavo, portumqve capeſſit.

Rectè

Rectè igitur qvidam, liber ſolus ſapiens eſt,
Dixere: hic etenim ſolus ratione magiſtra
Caſtigat motus animi, ſenſumqve rebellem:
Cætera turba neqvit facere hoc: cur? an Deus illis
Non dedit arbitrium? ratio eſt ubicunqve profectò
Eſt ibi & arbitrium, ſemperqꝫ hæc juncta cohærent.
Atqve ideo pecudes, qvoniam ratione carere.
Creduntur, nullum arbitrium dicuntur habere.
Aſt hominum cuivis ratio data fertur: in ipſis
Omnibus idcirco arbitrium qvoqve creditur eſſe.
Eſt autem ratio lumen qvoddam, atqve animi vis,
Qva curvum à recte ſecernimus, atqve ab honeſto
Turpe, oculusqve ſolet mentis qvandoqve vocari:
Qvalem oculum fortaſſe tibi Polypheme fuiſſe
Significant vates, qvo lactea membra videbas
Dilectæ liqvido ludentis in æqvore nymphæ.
Sed malus (heu) malus hunc, urenti ſtipite Vlyſſes,
Qvis poterit caviſſe malos? extinxit, & ora,
Ora prius formoſa, ſuo ſpoliavit honore,
Qvalem oculum Lynceus habuit qvoqve, nubila ſolus
Qvi penetrans viſu noctem vincebat opacam.
Hunc igitur cunctis oculum mortalibus æqvè
Diſtribuit figuli ſapientia ſumma Promethei:
Sed pauci utuntur, pauci qvos æqvus amavit
Juppiter: hinc tantæ errorum ſcelerumqꝫ ſcatebræ.
Nam ſi omnes rationis iter ſeqverentur ad unguem
Pax foret in terris æterna, & Martius enſis
Non tantas paſſim clades, tantosqve cieret
(Heu) fletus, ſtarentqꝫ ſuis cum mœnibus urbes:
Armaqve tartareis primum conflata caminis,
Et primùm Stygiis inventa ſororibus, agros
Excolerent, rigidi mutata ligonis in uſum;

Tunc

Tunc & apes, & ruris opes, pecudesqve beatis
Agricolis largè affluerunt, ac ſecla redirent
Aurea, & una domus divosqve hominesqꝫ teneret,
Seqve oculis noſtris paterentur numina cerni,
Cur autem pauci utantur ratione ſeqventes
Avia, & arbitrium nullum videantur habere,
Viventes pecudum ritu, pro viribus eadem:
Eſt qviddam in nobis divinum, mensqve vocatur,
Ac ratio: id capite in ſummo natura locavit,
Atqve illi voluit famulos aſſiſtere ſenſus,
Qvorum opera cœlum, terras, mare, & omnia poſſet
Percipere, immenſo qvæ comprenduntur ab orbe,
Eſt aliud qviddam mortale in pectore clauſum,
Cujus ope augemur, vegetamurqꝫ, igne miniſtro
(Sic placitum eſt ſuperis) hoc mentem hoſtiliter urget,
Detrahit, infeſtat, turbat: multusqve ſatelles
Huic etiam parti non deeſt, ignava voluptas,
Ira, dolor, metus, atqve timor, ſimul ardor habendi
Improbus, ambitioqve nocens, capit obſita fumo.
His igitur famulis, hoc milite, prælia menti
Infert: hi ſunt qvi ſummo conantur Olympo
Deturbare Jovem, inſignes feritate Gigantes,
Japetusqve, Gygesqve ferox, tumidusqꝫ Typhœus,
Hortatorqve mali Enceladus, Briareusqꝫ timendus,
Scilicet ingeſtis curarum molibus, angunt
Divinum in ſummo poſitum, niſi fulminis inſtar
Gratia præſto, adſit, cœlo delapſa ſupremo.
Nam ſemel amiſſis ubi præceps currus habenis
Effudit ſeſe, ac vehemens trahit impetus illum,
Neqvicqvam retinere volens auriga laborat,
Principiis obſtare opus eſt: qvum parva favilla
Languet adhuc: poſtqvam crevere incendia, jamqꝫ
Flam-

Flamma furens tecto erumpit, cœloqve propinqvat
Præsertim Boreæ si flabra ruentis ab arcto
Immineant (heu) frustra undas vicinia clamet.
Qvum semel ex alta saxum rupe exilit ingens,
Qvis retinere qveat? secum trahit omnia saltu
Perfringens rapido cognatas montibus ornos.
At prius exiguo poterat molimine sisti.
Sic motus animi, si totis viribus ipsam
Invadunt mentem, vix (heu) vix tendere contrà
Infelix audet ratio, clavoqve relicto
Per fluctus agitur, latè bacchantibus Euris,
Datqꝫ manus plerumqꝫ hosti, & captiva tenetur,
Ergo dum nova sunt vitiorum semina, cautus
Opprime qvamprimum, & causas averte priusqvam
Præcipites: tunc arbitrium, tunc libera mens est,
Victor Idumæis tunc exornabere palmis.
At si jam cœpta est pugna, & jam concutit arcem
Hostis atrox, valido labefactans ariete muros:
Crede mihi, nisi qvis Deus adsit numine dextro,
Succumbit ratio, & tantos non sustinet ictus.
Nonne vides, menti qvantum liqvor obsit Iacchi?
Qvas sæpe immittat furias, si plus satis intret
In stomachum merus? arbitrium dic est ubi post-qvam
Ebrietas caput invasit, fumisqve replevit?
Sobrius arbitrium tenet, ac jejunus, agitqve
Id qvodcunqve jubet ratio: contrà, ebrius illa
Qvæ nolit nescitqve facit, mox pœnitet in se
Qvum rediit, multoqve dolet sua facta pudore,
Ebria sic mens affectu fit, nec minus ac si
Ascendat temeti vapor, invertatqve cerebrum,
Turbatur misera, & nebulis involvitur atris.
Qvocirca est solus liber, solusqve profectò

Possi-

Poſſidet arbitrium, ratio qvem ſola gubernat:
Qvi affectus omnes ſuperant, fingitqve premendo.
Hoc poterit facere, à primis qvi inſueverit annis
Virtute; atqve bonas jampridem invaſerit artes.
Uſqve adeò valet uſus, & eſt nil fortius uſu.
Cætera turba agitur pecudum ritu: unde poëtam
Jure puto dixiſſe, trahit ſua qvemqve voluptas.
Arbitrium multis oppreſſum atqꝫ indupeditum eſt.
Ergo qvi verè liber cupit eſſe, reſiſtat,
Qvamprimum incipiant, affectibus, & rationi.
Illos ſubjiciat, ſemperqve utatur habenis.
Namqve caro adverſus mentem conſurgit, & illam
Continuo excercet bello, levis aſtra petit mens:
At gravis aſtra caro refugit, terrenaqve tantum
Appetit: eſt etenim terra. in terramqve redibit.
Sic duo tam diverſa Deus compegit in unum
Eſto autem qvod ſis ſapiens, ſolaqve regaris,
(Ut dixi) ratione, habeas & liberum ad unguem
Arbitrium: nunqvid vi tunc agitabere fati?
Imo magis fato tunc ſubjicieris, & illi
Parebis? ſiqvidem fatum eſt divina voluntas,
Cum qva vir ſapiens concordat ſemper, & ejus
Juſſa facit: contra inſipiens atqꝫ improbus horret
Ac refugit præcepta Dei cervice ſuperba.
At dices: Ergo eſt liber, nec vincula fati
Ulla tenet? non: ſed dominis pejoribus atqve
Infandis ſervit, ſceleri ſceleriſqve ſorori
Stultitiæ: qvanqvam hoc etiam divina voluntas,
Sed qvæ permittit, non qvæ jubet (eſt qvia duplex)
Efficit, unde patet, cuncta eſſe obnoxia fato:
Seu bona ſeu mala ſint, namqꝫ hæc permittit at illa
Vult fieri fatum, & fati Deus optimus auctor.
Talibus admoniti qvidam rationibus, ajunt,

Vivite mortales læti, dum ſtamina veſtra
Nec Lacheſis, triſtesqve animo depellite curas;
Neu vos ſollicitent præſentia: neve futura:
Lege etenim ſtabili fiunt, certo ordine cuncta
Procedunt: cur vos dolor aut metus urget inanis?
Sors ſua cuiq; data eſt, ſcriptamq; in pectore geſtat
Qviſq; ſuo, ignorans qvæ ſit, verùm explicat illam
Paulatim ipſa dies, atqve experiundo pateſcit.
Qvid gemitu aut lacrymis opus eſt? cœleſtia retro
Corpora non remeant, non eſt mutabile qvicqvid
Inſtituit ſemel ipſe Deus: namqve optimus ordo,
Et ſeries perfecta, ſuum ſi fortè tenorem
Deſerat, aut pejor fiet (qvod neutiqve fas eſt)
Aut melior, ſed perfecto perfectius eſt nil.
Eſt aliud dubium magnum ac mirabile: nam ſi
Omnia ſunt (veluti modo dixi) obnoxia fato,
Cur Deus hæc premit & cruciat? contra illa benigno
Proſpectat vultu? cur non eſt omnibus æqva
Conditio? cur hæc vivunt felicius illis?
Cur his blanda parens, illis natura noverca eſt?
Hunc igitur par eſt etiam diſſolvere nodum
Multi hoc aut culpa, aut meritis contingere noſtris
Dixerunt: juſſuqve Dei mala ſontibus eſſe,
Et bona conferri juſtis, ego non ita credo:
Nec verum eſt, nam qvid meruere expertia mentis
Bruta? qvid arboribus culpæ vel criminis hæret?
Sors tamen eſt illis multum diverſa, nec uno
Verſantur caſu pecudes: namqve improbus illam
Fur rapit, hanc lanius laniat, pars ore luporum
Interit, aut morbo, aut undis, aut frigore vitam
Exuit ante diem: qvædam periere ſenecta:
Durior his ætas agitur, jucundior illis.

Sors

Sors diverſa etiam arboribus contingit, ab Euro
Frangitur hæc, aut eruitur radicitus: illa
Cæditur in varias artes, aut pabula flammæ:
Qvædam fulmineo in prœceps detruditur ictu.
Piſcibus atqve feris, & rebus deniqve cunctis,
Atbitrio fati ſors eſt ſua cuiqve tributa.
Bruta tamen nunqvam poſſunt peccare, nec arbos.
Præterea plerumqve bonis adverſa videmus
Accidere, & juſtos agitari ſorte ſiniſtra:
Contra fortunam plerumqve favere ſceleſtis
Cernimus, ac magnos illis concedere honores.
Non igitur meritis reſpondent munera fati.
Qvare aliam potius cauſam indagare neceſſe eſt.
Fortè aliqvis dicet, cauſa eſt divina voluntas.
Nilqve ultra qværet: non eſt ſatis iſtud, oportet
Scrutari interius dubii penetralia veri.
Non etenim qvum ſit Deus optimus & ſapiens, vult
Qvicqvam qvod careat ratione: ſed optima ſemper,
Eligit, atqve jubet fieri divina voluntas.
Qvocirca eſt aliter dicendum, qvod cauſarum
Qvælibet à prima qvo diſtat longius, hoc ſit
Illi diſſimilis magis, & magis undiqve diſcors.
Ergo qvum Deus & ſimplex ſit ſemper, & idem,
Ultima cauſarum qvæ diſtat maximè ab illo,
Et minime ſimplex erit, & diverſa, ſuosqve
Effectus ſemper varios pro viribus edet.
Hæc eſt qvæ terras regit, & terrena gubernat,
Idcirco in terris certi nil eſſe videtur:
Qvandoqvidem variat ſemper fortuna tenorem
Diverſo gaudens mortalia volvere caſu.
Cur tamen hunc potius qvàm illum jubet eſſe beatum?
Et cur hunc potius qvàm illum peſſundat & urget?

Cur onera huic, illi gratos largitur honores?
Horum difficile eſt veram cognoſcere cauſam.
Nec minus ac ſi qvis cupiat cognoſcere qvare
Ignis ſit calidus, nix alba, abſinthia amara:
Qvare hæc herba obſit, juvet illa: & qvælibet arbos
Cur tales habeat frondes? animalia cur hæc
Callida ſint, alia obtuſo, malè provida ſenſu?
Cur paleas electra trahant, & pondera ferri
Magnes, cur neqveat facere hoc adamante propin- (qvo?
Talia multa Deus tenebris involvit opacis,
Conſtituitqve ſuos fines mortalibus, ultra
Qvos fruſtra humanum ingenium ſenſusqꝫ laborat
Si figulus maſſam argillæ diſtinxit, & illam
Diſtinctam in partes varias vult fingere, qvare
Hanc partem potius qvam illam transformat in ollam,
Aut patinam, aut ſcaphum? cur ex hac fabricat urnam,
Ex illa urceolum? nunqvid ratione movetur?
Aut nulla eſt prorſus ratio, ſed ſola voluntas?
Arbitrioqve ſuo (ut libuit) ſic omnia fecit?
Difficile eſt nimium artificis pernoſcere mentem.
Sic qvi ſcire velit, cur hunc fortuna vel illum
Aut premat aut ſurſum tollat, nimis ardua qværit:
Terrarum ſiqvidem eſt illi conceſſa poteſtas
Maxima, & huic illam præfecit Juppiter orbi,
Ut poſſit qvodcunqve libet facere, ordine fati
Scrutato tamen: auſcultant namqve omnia fato.
Cur igitur qvæcunqve illi feciſſe libebit,
Non faciet jure? aut qvæ lex jure arguet illam?
Num ſervi debent dominis imponere leges?
Nos certè huic ſervi ſumus, hic dum vivimus: & nos
Ille poteſt qvocunqve velit compellere dæmon.

Non tamen in noſtros animos dominatur, habetve
Imperium, qvando eſt animæ cœleſtis origo.
Hanc ſolam excepit Deus à ditione tyranni.
Cætera permiſit, qvæ ſunt terraqve mariqve,
Illius arbitrio, & fieri ſinit omnia ab illo,
Qvaliacunqve libet, juſta atqve injuſta licenter:
Fortè aliqvis dicit, Deus ergo eſt cauſa malorum,
Injuſtusqve poteſt dici: nam qvi facit, & qvi
Non prohibet fieri peccatum, dummodo poſſit,
Committunt ambo ſcelus æqvè, peccat uterqve,
Supplicioqve pari dignum lex cenſet utrumqve.
Qvare ſi Deus in terris mala tot patitur: ſi
Qvum poſſit prohibere, tamen non illa coërcet:
Eſſe mali cauſa, & ſceleri aſſentire videtur.
Huic etiam parti ſum reſpondere paratus,
Si modo divini radius mihi luminis adſit.
Eſt igitur primum ſolerti mente notandum,
Qvòd cauſarum aliæ ſunt viles, atqve minutæ,
Sunt aliæ egregiæ & præſtantes nobilitate,
Præpoſitæqve aliis: veluti qvum exercitus ingens
Præfectos habet atqve duces, pars cætera grex eſt.
Has (inqvam) cauſas primores egregiasqve
Præpoſuit mundo, mira ratione modoqve
Maximus ille pater rerũ, & dominus dominantum,
Immenſam qvi lucem habitat ſuper extima mundi
Mœnia, & aſtriferos nutu circumvehit orbes.
His tribuens cauſis vires & munera, eaſdem
Limitibus certis, velut aggere, circumſepſit,
Ne liceat cuiqvam tales tranſcendere fines.
Et qvia diſpoſuit ſapienter cuncta, neceſſe eſt
Cuncta ſuum æterno curſu ſervare tenorem.
Nam qvæcunq; ſemel rectè ſunt facta, ſine ullo
Errore, haud ullo mutari tempore debent.

Eſt igitur prorſus rerum immutabilis ordo,
Qvandoqvidem rectè ſummus Deus omnia fecit.
Qvare ſi dæmon qvi terris præſidet, errat,
Aut malus eſt, hoc fit qvia cauſa eſt ultima, longè
A prima diſtans, longeqve à luce remota:
Atqve ideo magis eſt cæcis vicina tenebris,
Duntaxat veri ſimulacro & cortice gaudens:
Qvam Deus idcirco patitur, qvia debitus ordo
Exigit hoc rerum, & magni perfectio mundi.
Nam veluti lucis ſpatium determinat umbra,
Dantqve ſibi finem contraria cuncta viciſſim,
Sic cauſarum etiam ſeriem numerumq; bonarum,
Deſinere in cauſam pravam miſeramqve neceſſe eſt,
Qvæ miſeris præſit regnis, & prava gubernet.
Hinc igitur veniunt diſcordia, jurgia, rixæ,
Prælia, bella, doli, fraudes, incendia, cædes,
Furta, latrocinia, inſidiæ, penuria, peſtis,
Diri terrarum motus, diræqve procellæ,
Tam multi morbi, tam multa & crebra pericla:
Et demum qvodcunqve mali contingit ubiqve,
A cauſa hac miſera & terrarum principe manat.
Hei, mihi qvàm verè dixit ter maximus Hermes,
Congeries mundus cunctorum eſt iſte malorum,
Nimirum, qvoniam dæmon qvi præſidet orbi
Terrarum, malus eſt, ſævaqve tyrannide gaudet.
Ac veluti fons eſt cunctorum prima bonorum
Cauſa, ita cunctorum fons eſt poſtrema malorum;
Qvare ſi in terris dominantur Sardanapali:
Si diadema tenent aſini ſub imagine regum:
Si tutela ovium cura eſt commiſſa luporum:
Si in templis habitant meretrices atqve cinædi:
Si Chriſti pia ſacra hodie manus impia tractat:
Si cupidus vendit cœlum & phlegethonta ſacerdos:

Deni-

Deniqve si impunè passim tot turpia fiunt,
Non est culpa Dei summi, sed dæmonis hujus,
Qvem nos Fortunam, qvem etiam Plutona vocamus.
Sarcotheus posset tamen apto nomine dici:
Qvippe illi carnis jus arbitriumqve tributum est.
Huic igitur servit, qvicunqve est carnis amator
Immodicus, corpusqve suum plus diligit æqvo.
Corpora sunt hujus, propter qvod corpora semper
In vitium tendunt, animisqve inimica repugnant,
Cœlestis qvoniam vis est & origo animorum,
Corpora sunt autem terrena, adversaqve cœlo.
Ergo hic Sarcotheus, mundo qvi præsidet imo,
Cœlestes homines, carnalia despicientes
Gaudia, virtute addictos, animumqve colentes,
Odit, perseqvitur, stimulat, premit, impedit, angit,
Ut solet insanus princeps, sævusqve tyrannus
Infestus semper sapientibus esse bonisqve.
Suspecta est etenim pravis odiosaqve virtus.
Hostes qvæqve suos odore, timentqve caventqve.
Atqve ideo malus hic dæmon incommoda multa
Objicit his, qvorum mens est sublimior, & qvi
Cœlicolum sedes, naturæqve abdita qværunt.
Nollet enim agnosci: nam si bene cognitus esset,
Illum omnes scelerum patrem, nostriqꝫ cruentum
Carnificem generis detestarentur, & omnes
Odissent meritò, ac maledictis inseqverentur,
Crudelem, insanum, deceptoremqve vocantes.
Proinde latet ritu loliginis, & sapientes
Exosus refugit, ne cognoscatur ab illis:
Non metuit talpas, at lyncea lumina vitat.
Sic fures etiam faciunt, omnesqve scelesti
Oderunt lucem, ac tenebris lætantur opacis,

Ut sua non possint furta & malefacta videri,
Inde sit ut qvoties adversi qvid patiuntur
Mortales, rerum ignari, & caligine mentis
Oppressi (namqve errorum ignorantia ferme est
Cunctorum causa) irati qveruliqve putantes
A summo sese vexari auctore bonorum,
Devoveant sanctum illius ac venerabile nomen:
Tunc malus exultat dæmon, furtimqve cachinnat,
Et gaudet se nesciri, & sua facta latere:
Et nocuisse tamen, sed non nocuisse videri.
Summi namqve Dei est inimicus, & æmulus à qvo
Ejectus cœlo, pressus claususqve tenetur
Lunam inter terrasqve graves, & regnat ibidem.
Qvocirca, ô miseri mortales, discite tandem
Qvæ vestri sit causa mali, tot tristia vobis
Unde fluant, & carnificem cognoscite vestrum.
Nempe hic Sarcotheus, nempe hic est qvi cruciat (vos,
Dulcia qvi vestris damnis sibi gaudia qværit:
Haud aliter qvàm qvum proles Mavortia terris
Jam domitis, jucunda sibi spectacula cæde
Qværebat miserorum hominum, vel cæde ferarum:
Ipse senator, eqves, populus, diversa manebant
Per loca diffusi, ut lex præcipiebat Othonis.
Ecce theatralem ingressus gladiator arenam,
Aut alius sua membra feris lanianda daturus,
Vel leo, vel tigris, vel qvævis bellua ludis
Opportuna aderat, delectatura Qvirites
Morte sua, & fuso per vulnera crebra cruore:
Sæpe aliis dolor alterius solet esse voluptas.
Qvare pessimè agunt qvi verbis turpibus audent
Irritare Deum summum, qvi causa bonorum
Cunctorum est, à qvo per se proprieqve mali nil
Esse potest unqvam, nisi contingenter: uti sol

Producit tenebras qvoties deſcendit ad imos
Antipodas, frigusqve abſente creatur ab igni:
Non tamen obſcurus ſol eſt, neqve frigidus ignis.
Unde ſatis miror qvoſdam doctos alioqvi
Aſſerere, offendi atqve iraſci, & ſumere pœnas
De nobis, illud ſummum verumqve bonumqve,
*H*inc bellum atq; famem & peſtem prodire putantes
Offendi ſi poſſit enim mortalibus actis,
Qvid qvæſo in mundo foret infelicius illo?
Qvoqve die atq; horæ momento plurima fiunt
Crimina, ubiq; hominum blaſphemia turpis in ore
Sentitur: certè poterit reqvieſcere nunqvam,
Nunqvam lætus erit: neqve erit Deus ipſe beatus,
Si qvoties peccant homines offenditur, & ſi
Injuſtis hominum factis dictisqve movetur.
Nimirum Deus offendi lædive neqvit, ſi
Verum perſpicimus, nam adeo perfecta potensq;
Ipſius eſt natura Dei, tantumqve remota
Sordibus à noſtris, ut nos diſtemus ab illo
Longius atq; magis, qvàm à nobis diſtet aſellus,
Qvam muſca aut pulex, & qvicqvid vilius his eſt.
Qvomodo tam miſeri & viles offendere tantum
Tamqve potens numen, vel lædere poſſumus unqvam?
Nonne impaſſibilis Deus eſt, penitusqve doloris
Expers, atqve ideo æternus, ſemperqve beatus?
Num decet iraſci regem, ſi morio verbis
Indignis illum petat: an contemnere præſtat?
Nunqvid cum puero decus eſt pugnare Giganti?
Præterea qvum ſit ſapiens, videatqve futura
Omnia, dic qvæſo, num debuit illa creare
Qvæ ſibi poſt nocitura forent, unde ipſe doleret?
Nonne illum decuit, qvi toti conſuluit orbi,

Conſuluiſſe ſibi? vel dic, ſi offenditur, an vult
Offendi? ſi vult, jam non offenditur, imo
Gaudet: ſi non vult, cur hoc permittit? an ipſe
Non eſt omnipotens? certè eſt, omnesqve fatentur.
Deberet prohibere igitur, qvod non facit: unde
Vult ratio ut credam, nihil illum poſſe moleſti
Sentire omnino, & tranqvillam ducere vitam.
At dices, ſi non offenſa iraſcitur ulla,
Curramus proni in vitium, in ſcelus omne hiamus.
Non ſic: ſed noſtris aures nunc arrige dictis,
Recludamqve tibi jamjam penetralia veri:
Qvando aliqvis peccat, tunc ſeſe abducit ab ipſo
Fonte boni, rectum, lucem, pacemqve relinqvens.
Unde fit ut peccans ultro in ſua damna feratur.
Qvandoqvidem talis natura eſt oppoſitorum,
Ut qvanto refugis magis atqve recedis ab uno,
Ad reliqvum tanto accedas magis atq; propinqves:
Sic fugiens peccando Deum, ſeſe admovet ipſi
Sarcotheo: cujus poſtqvam juga ſæva recepit,
Afficitur variis pœnis, juſſuqve tyranni
Nunc hoc nunc illo torqvetur ſæpe dolore.
Non impunè igitur cuiqvam peccare licebit:
Qvamvis nullorum poſſit Deus eſſe malorum
Cauſa, (ut jam dictum eſt) per ſe, proprieqve: ſed ultrò
Qvi peccat ruit in pœnam, & ſua damna reqvirit,
Carnificiqve miſer cruciandum ſe exhibet ultrò.
At dubia hinc duo conſurgunt ſatis ardua: nam ſi
Peccare eſt nobis noſtrorum cauſa malorum,
Cur ſæpe injuſtus, ſceleratus, & impius, omnem
Lætus agit vitam, & laudato funere finit?
Contra, vir bonus atqve pius, mala plurima vivens
Suſtinet, & tandem miſeranda morte recedit?

Præterea ſupra oſtenſum eſt, planeqve probatum,
Non culpa aut meritis noſtris contingere nobis
Vel bona vel mala, ſed cujuſdam numine divi,
Qvi mare, qvi terras, qviqve aëra poſſidet imum.
Qvomodo nunc igitur mihimet contraria dico,
Et mea nunc diſcors ſecum ſententia pugnat?
Qvisqvis es, ô Lector, poteris dignoſcere verum,
Atqve tuo tenebras animo procul ire videbis,
Si præbere aurem noſtris dignabere dictis.
Ergo duplex ſcito eſſe bonum, vulgi ac ſapientum:
Sicqve malum duplex: atqvi ſententia vulgi
Deterior ſemper: nam craſſi hebetísqve cerebri eſt,
Judicioqve caret, propter qvod corporis & qvæ
Fortunæ bona ſunt, ſola hæc miratur & optat:
Aſt animi bona vel neſcit, vel frivola credit.
Contrà autem ſapiens, animi bona ſola reqvirit
Cætera deſpiciens: qvare ſumus antè ſecuti
Judicium vulgi, & vulgi de more locuti:
Nunc verò à vulgo ſententia noſtra recedit,
Deqve bono atqꝫ malo ſapientum dicta probamus.
Sic non diſſideo mecum, aut contraria dico.
Tali igitur pacto aſſerimus, bona nulla ſceleſtis,
Et juſtis mala nulla qvidem contingere poſſe.
Qvod clarè oſtendam, & clara ratione patebit.
Primum hoc ſcire opus eſt, vitium qvodcunqve ſcelusqve
Eſſe animi qvendam morbum: nec corpore ſolo
Ægrotant homines, qvoqve vulnera ſentit,
Nec leviora qvidem qvàm corpus: qvilibet ergo
Improbus, eſt æger: qvippe illi eſt ægra voluntas,
Judiciumqve ægrum, propter qvod noxia præfert
Utilibus, miſer, & præponit turpia honeſtis.
Qvod ſi non ægra eſt illi mens atqve voluntas,

Improbus eſſe neqvit: ſed erit juſtusqve piusqve
Hoc etenim ſolo diſcrimine diſtat uterqve.
Ac veluti totum corpus malè languet, ubi ullo
Hæc duo læduntur vitio, mens atqve cerebrum:
Sic (heu) ſic animus totus malè languet, ubi ullo
Hæc duo læduntur morbo, cor atqve voluntas.
Utqve cibus ſuavis ſtomacho languente videtur
Inſuavis, prodeſtqve nihil neqve competit ægris:
Sic animo languente, boni nihil eſſe ſceleſtis,
Nil prodeſſe poteſt, qvod ſic verum eſſe docebo.
Eſt aliqvis legum jurisqve utrisqve peritus,
Sed vafer, injuſtus, cupidus, contemptor honeſti:
Qvid ſua qvæſo illi prodeſt doctrina? boni qvid
Inde habet? heu miſeros fallit, ſpoliatqve clientes
Atqve alios multos lædit, doctrina ſceleſti
Eſt gladio inſani ſimilis, nam ſemper abuti
Improbus ipſe ſolet rebus qvas poſſidet, unde
Fert aliis damnum, nomen ſibi turpe, odiumqve
Qvasqve ſerit ſpinas. pedibus ſæpe excipit ægris:
Vel ſaltem metuit qvos lædendo efficit hoſtes.
Ergo bona illius dicenda ſcientia, multis
Qvæ nocet, ut ſævus coluber, neqve parcit habenti?
Sic de aliis dico doctrinis, qvas habet ipſe
Improbus: eſſe bonæ ſimili ratione negantur.
Sed malus eſt dives, gemmis auraqve refertus:
Divitiæ ne bonæ illius? non; dic mihi, qvare?
Ecce ego jam dico, qvia turpiter utitur illis.
Scorta alit, ignavamqve gulam lenasqve doloſas
Conducit, pretio pueros corrumpit avaros:
Aggreditur donis, ſi qva eſt paupercula virgo:
Utqve ſibi indulgens qvodcunqve libido ſuaſit,
Efficiat, leges hominum pariterqve deorum
Jusqve

Jusqve piumqve nihil curat: qvod ſi ſit avarus,
Heu qvid non audet ſceleris? lupus iſte cruento
Ore furens, nulli non inſidiatur ovili:
It præceps, qvodcunqve rapit ſcelerata cupido.
Intolerabilius nil eſt qvàm dives avarus.
Qvam ſtultus locuples, qvam fortunatus iniqvus,
Aut igitur pecudùm ritu carnalia tantum
Gaudia ſectatur, ſibi noxius atqve crumenæ,
Aut parto nimium parcens, fit Tantalus alter:
Congregat, & neſcit cui congreget: utqve ſolet ſus,
Non ſibi ſed multis aliis ſeſe ipſe ſaginat,
Qvi mox diripiant longo cumulata labore,
Unde patet non eſſe bonas qvæcunqve ſceleſtus
Divitias habet, at ſi ſit robuſtus & acer,
Qvid faciet? crebro rixabitur, & violentus
Nunc hunc nunc illum lædet, plerumqve ſeqvetur
Militiam, aut latro fiet, qvia more ferarum
Crudelis, cæde atqve alieno ſanguine gaudet:
Arma & bella ferox, ſceleris, non laudis amore,
Diliget, unde ſuis damnum feret atqve pudorem.
Corporæ vires, mente ac probitate carentes,
Heu qvam ſæpe nocent homini, qvam tempore parvo
Durant qvam raro ad primam venere ſenectam.
Sed qvid opus multis percurrere ſingula verbis?
Hæc poſſunt exempla ſatis bene pandere verum.
Nunc operæpretium eſt ſolerti inqvirere cura
An juſtis ſanctisqve mali contingere qvicqvam
Poſſit, ut à multis dici crediqve videmus.
Ardua res certè: tamen hanc audacter adibo,
Fretus ope Aonidum, & Cyrrhæi numine vatis.
Principio qvisqvis bonus eſt, ſit ſanus oportet
Mente animoqve licet gvavis ægro in corpora languor

Sævi-

Sæviat, & vario vexentur membra dolore;
Ne rectum illi judicium neu recta voluntas
Deficiat, namqve his ſine vir bonus eſſe, piusqve
Nemo poteſt: duo virtutis fundamina ſunt hæc.
Talis homo qvæcunqve tenet, recté utitur illis:
Atqve ideo bona ſunt, doctrina, pecunia, vires
Illius, & demum qvæ poſſidet omnia: namqve
Maxima pars rerum bona vel mala fertur ab uſu.
Et ſi cura hominum diis immortalibus ulla eſt,
Præcipuè hi debent juſtosqve piosqve tueri:
Qvod ſi non facerent divi ratione carerent,
Nec ſacris eſſent digni, nec thure, nec aris.
Qvare non video qva lædi parte bonus vir,
Qvidve mali vel mente pati vel corpore poſſit:
Qvum Deus hunc amet & foveat, dextraq; potenti
Propugnet, tutumqve omni diſcrimine reddat.
Nam qvis non juvet, aut qvis non tueatur amicum,
Qvandocunqve poteſt, ſi verè diligit illum?
Sed tamen interdum juſtus miſer eſſe videtur,
Pauperiemqve pati, & morbos caſusq; ſiniſtros;
Qvum non ſit verè juſtus, ſed hypocrita qvales
Invenies paſſim multos, qvi pelle ſub agni
Vipereum celant virus, moresqve luporum,
Et ſtolidos ficta virtutis imagine fallunt.
Proinde Deus, cui corda patent, arcanaqve mentis,
Hunc non cuſtodit, nec amat: nos pectore craſſo
Et cerebro inſulſo, decepti ab imagine recti,
Tunc juſtum mala multa pati, & miſerum eſſe putamus.
Heu qvam ſæpe hominum falſa & ſtulta inveniuntur
Judicia, & qvam mens humana eſt neſcia veri!
Qviſqve ſibi placet, & ſapiens ſibi qviſqve videtur.

Hinc riſum excutimus ſuperis, hinc plurimus error.
Eſto tamen, juſtus morbos patiatur, agatqve
Deſpectam in tenebris & paupertate pudenda,
Ejectus patria. vel clauſus carcere, vitam,
Atqve aliis etiam vexetur caſibus, eſto:
Proptereane malum patitur? non, qvippe ferendo
Talia, fit melior, fit clarior: omnia juſto
In melius cedunt, juſſu Jovis: utqve medentes
Sæpe aloën ægris adhibent, ſuccosqve moleſtos
Qvò fiant validi, & pulſo languore reſurgant;
Sic plerumqve Deus juſtos exercet, ut ipſos
Excitet, atqve magis virtuti incumbere cogat.
Utqve homines reddit ſtultos, pravosqve voluptas:
Sic dolor ad mentem revocat, vitiumqve coërcet,
Criminibus frænum, calcar virtutibus addit.
Nonne vides, igni fieri pretioſius aurum?
Uberiusqve ſolum præduri dente ligonis?
Et putreſcere aqvam qvæ non fluit? aſpice ferrum,
Pulchrius eſt uſu, ceſſans rubigine ſordet.
Multa igitur ſunt qvæ adverſis agitata niteſcunt:
Præſertim virtus, qvæ in rebus clarior atris
Perſpicitur, velut in tenebris magis enitet ignis,
Qvare aut nil prorſus patitur bonus & pius, aut ſi
Qvid patitur, parit hæc illi patientia lucrum,
Fertqve illi, ſit amara licet, medicina ſalutem.
Et ne qvis fortaſſe putet me fingere nugas,
Res eadem qvæ uni prodeſt, qvandoqve venenum
Eſt alii: ſic nonnullis ſunt noxia vina,
Atqve caro, ſic nonullis abſinthia proſunt:
Sic calor ipſe nivem, ceram, glaciemqve reſolvit:
Agrillam contra durat: ſic talia multa
Diverſos pariunt diverſo in corpore fœtus.
Et qvoties iiſdem verbis hic ridet, at ille

Contra triſtatur, vel mota bile tumeſcit?
Non eadem cunctis eadem ſunt: Bacchus aceſcit
Egregius, ſi tu vitioſa in dolia mittas.
Nimirum ſanis ſunt omnia ſana: ſed ægris
Qvæ bona ſunt qvandoq; nocent, læthumq; minantur.
Sic ergo (ad noſtrum ut redeam) mala corporis, atqve
Spicula fortunæ, ſunt pernicioſa ſceleſtis:
Expediunt verò juſtis, proſuntqve nocendo.
Sufficiant hac dicta tenus: jam claudere librum
Muſa jubet, Chironqve vocat, qvi ſcribere mores
Humanos cupit, & ſacraria pandere vitæ.
Qvocirca eſt operæpretium, me linqvere cantus
Aonios, tacitumqve ſacris reqvieſcere ſilvis,
Pieridumqve tholo citharam ſuſpendere, donec
Tempora prætereant hæc peſſima, tempora multum
Deploranda, qvibus procerum diſcordia totam
Nititur Italiam bello vaſtare ſuperbo.
Unde ſuos qveritur direptos Roma penates:
Narnia, Ticinum, Melphi ſenſere ruinam:
Unde & Parthenope, Sirenis clara ſepulchro,
Nunc ſua Gallorum manibus pomaria cernens
Vaſtari, heu triſtis gemit ad Sebethidas undas.
Qvid memorem viſæ cœlo miracula flammæ
Vincentis ſplendore diem? triſtesqve locuſtas
In morem nebulæ nitidum prætexere ſolem?
Et teneras avido ſegetes abrodere morſu?
Qvam multas miſeranda fames, miſerandaq; peſtis
Civibus exuerit, vacuasqve reliqverit urbes?
Qvot loca diluviis propè deſolata videntur?
Heu mihi qvam juſtas de nobis numina pœnas
Sumunt! nam ſceleris qvid non committimus aut qvid

Juſtitiæ eſt uſqvam? qvis amor cultusqve deorum?
Relligio, aucupium facta eſt: cœleſtia venum
Omnia nunc dantur, violantur ſacra profanis
Lenonum manibus: tamen hæc ſpectantq; tacentq;
Magnifici reges: & Chriſti prorſus honorem
Nil curant: ſic nos miſeros idola gubernant?
Ergo ibo interea, & Parnaſſi in rupibus altis,
Donec Muſa iterum jubeat me exire, latebo.

LIBER NONUS.

Synopſis LIBRI IX.

Liber hic culturam animæ, qvoad mores, continet. Fingit enim author ſe in lunam abreptum fuiſſe; ubi, dum qvid viderit exponit, dogma Pythagoricum de metempſychoſi proponere videtur. Stultitia & ſcelus humanum genus populantur, & ad voluptatem avaritiam, ſuperbiam, invidiamqve incitant. Cum qvibus in aëre Dæmones conſpirant, qvorum reges qvatuor uni ſummo ſubjectos, eorumqve agmina qvadruplicia, qvatuor prædicta vitia excitantia analogice depingit. Inde ad rerum humanarum ſpectaculum converſus, qvinqve hominum ſpecies diſtinguit; pios nempe, prudentes, aſtutos, ſtultos & furioſos: qvorum aſtutos & ſtultos ſola doctrina morum emendat. Doctrina & ſapientia differunt; & hæc qvidem fere prorſus negligitur, cum tamen maxime neceſſaria ſit. Qvæ occaſione diverſa præcepta ad culturam animæ, qvoad mores pertinentia ſuccincte nec minus nervoſe tradit. Monachos vero ipſumqve Papam in fine libri obiter qvidem ſed acriter tangit.

SAGITTARIUS.

LUGESCIT jam Musa: satis reqvievimus antris
Castaliis: agedum plectro citharaqꝫ resumpta
Effice concordes nervos, solitoqve favore
Antiqvum cane Diva melos, bona carmina menti
Sint tibi, qvæ qvondam blandus dictabat Apollo
Laurifera in silva, Pormessi ad fluminis undam.
Nos vocat ecce alius labor haud inglorius: alta
De specula, & summo Parnassi vertice, mores
Spectemus varios hominum, vitamqve notemus.
Jam medium mea cymba fretum tranaverat, &
Canebant gelidis silvarum summa pruinis: (jam
Qvum mihi nescio qvis Deus adstitit, & procul
Expulit affulgens divino lumine noctem. (atram
Tunc scopulum qvendam aspexi, qvi vertice nubes
Exuperans, latè cœlum spectabat apertum,
Difficilis primo accessu: namqve aspera circum
Saxa arctam fecere viam, plenamqve laboris,
Imaqve cinxerunt silvestres undiqve dumi:
Mitior in medio: qvantumqve accedit ad arces
Æthereas propius, tanto clementius idem
Præbet iter surgens, scopuloqve Theorea nomen:
Illuc me Genius duxit meus, utqve cacumen
Venimus ad superum, plana & plena omnia vidi
Deliciis miris: qvas si mea lingua referre
Nunc velit, antipodas citius sol ibit ad imos,
Et nox humenti terras velabit amictu.
Dum moror, & miror latos lætosqve sagaci
Mente locos, vox ecce polo delapsa supremo,
Flecte (inqvit) Stellate genu, regemqve precare
Cœlicolum supplex, cujus sine numine frustra
Carpere delicias scopuli conaberis hujus.

Ergo humilis venerare Deum, favor omnis ab alto
Defluit in terras: nihil eſt mortalibus ægris
Utilius qvàm cœleſtem ſanćteqve pieqve
Orando ſibi qværere opem, & cognoſcere divos.
Talibus auditis, facie, manibusqve ſupinis,
Et genibus flexis, effudi has pećtore voces:
Magne pater divum, mundi ſuprema poteſtas,
Qvo nihil eſſe poteſt, nec fingi majus, ab omni
Corporea ſtans more procul, tamen omnia fin-
Corpora, vel prorſus mutari neſcia, vel qvæ (gens
Temporis anfraćtu longo labefaćta fatiſcunt:
Principium ſine principio, fons unde bonorum
Effluit omne genus, naturæ rećtor & aućtor,
Omnia comprendens, at non comprenſus ab ullo,
Majeſtas immenſa, bonum, ſapientia, vita,
Ordo, decus, finis, mens, verum, lux, via, virtus:
Nuſqvam habitans, & ubiqve habitans: immobi-
lis, & dans
Aſſiduè motum cunćtis: à qvo omnia, & in qvem
Omnia, per qvem etiam ſunt omnia, ſemper ea-
Conditione manens, nullo mutabilis ævo: (dem
Maxima cauſarum, qvæ certa lege revolvens
Sideream molem, fatorum jura gubernas:
Rex regum, cui mille adſtant, & mille miniſtrant
Agmina divorum, lætantum hymnosqꝫ canentum,
Lucis in immenſæ campis, extra extima mundi
Mœnia, ubi eſt veris ſedes aptiſſima rebus:
Te colo, te veneror, te nunc reverenter adoro,
Atqve precor ſupplex ut me ſpećtare benigno
Digneris vultu, vocemqve audire precantis.
Mitte tuæ lucis radios mihi, pelle tenebras
Oppreſſæ (heu) nimium moribundo in corpore
mentis,

Da rectam reperire viam, ne noxius error,
Vanaqve credulitas, & opinio cæca trahat me
Præcipitem in ſalebras rerum & contagia vitæ.
Nam ſine te ingenium mortale, humanaqve virtus
Dum ſe tollere humo ſperat, velut Icarus olim
Disjunctâ compage ruit, pennisqve ſolutis:
Nec potis eſt ſine te occulti penetralia veri
Cernere, nec qva parte ſalus aut arte petatur.
Largire ergo mihi, Rex ô digniſſime regum,
Ut te cognoſcam, & placeam tibi: deinde ſciam me,
Qvid ſim, qva in terris cauſa productus, & unde
Huc veni, ac tandem qvò vita functus abibo;
Qvid mihi dum vivo ſit agendum, ſitq; cavendum:
Ut qvum finierit Lacheſis mea fila, diesqve
Ultimus abdiderit membra hæc exhauſta ſepulchro
Mors fiat mihi grata qvies, portusqve ſalutis.
His dictis iterum noſtras vox impulit aures:
Placaſti æthereum numen, votisqve litaſti:
Eſto animo Stellate bono, tibi poſſe manere
Hoc datur in ſcopulo, & cœleſtes carpere fructus.
Confeſtim his dictis tacuit, nilqve addidit ultra.
Aſt ego ſenſi animo magnum acceſſiſſe vigorem,
Atqve oculis lumen, qvo latius omnia cœpi
Cernere, & antiqvum ſuperabam Lyncea viſo.
Mox me ſenſi etiam vento ad cryſtallina cœli
Convexa extolli blandè, ſurſumqve levari,
A litis in morem vulcania tela ferentis,
Diſcuſſura polum tonitru flammisqve coruſcis,
Qvandocunqve Jovem mortalia facta laceſſunt.
Jamqve propinqvabam lunæ, portasqve videbam
Partim auro inſignes, partim candore nitentes
Argenti puri: ingredior viſu omnia luſtrans,
Ecce mihi occurrit venienti fortè Timalphes,

Egre-

Egregius juvenis forma, & virtutis honore:
Qvem Jove diva Arete qvondam eſt; nixa parente.
Hic me qvamprimum agnovit (nam matre jubente
Multa diuqve alias fuerat mecum ipſe locutus)
Utqve ſalus dicta eſt nobis ultroqve citroqve,
Admirans me multa rogat: mox ducit in urbem
Ingentem, qvantam terrarum non habet orbis:
Mœnia ſurgebant ſolido ex adamante, ſed ipſa
Propugnacula erant flammante extructa pyropo.
O qvæ illic, qvanta, & qvam pulchra palatia vidi,
Templa, theatra, fora & magnarum ſtrata viarum,
Cuncta ex argento, atqve auro, gemmisqve beatis!
Longè plura etiam vidi pulcherrima ibidem,
Singula, ſed neqveo memorare, & ſingula qvamvis
Poſſem, dii nolunt memorari ſingvla vulgo.
Mirabar populum ingentem, innumerosqve per urbem
Veſtibus indutos niveis incedere cives,
Serta qvibus comptos cingebant florea crines.
Læti omnes, manibus geſtabant lilia, & hymnos
Menarchi memores lunaria regna tenentis,
Gutture dulciſono & concordi voce canebant:
Menarchum ingeminant, Menarchum carmine laudant
Garrula Menarchum referebat ſæpius Echo.
Arcadas hic domuit felice Marte Gigantes,
Ut mihi tunc retulit fido ſermone Timalphes.
Namqve ait, Arcadiam totam ſine montibus olim
Planitie ingenti campos habuiſſe patentes,
Terribilesqve illud regnum tenuiſſe Gigantes,
Mænalon & Pholoën, & amantem luſtra Lycæum,
Geſtantemqve humeris aprorum terga Erymanthum,

Et flagrantem odiis in cœlicolas Cyllenen:
Qvi primi ante alios nativo robore freti,
Turpia ſunt auſi convicia dicere lunæ:
Se prius eſſe illa genitos, & nobiliore
Stemmate conſpicuos, ideoq; in ſede locandos
Ætherea magis, & divorum nomine dignos.
Qvinetiam inſani ſtruxere ad ſidera turrim,
Majorem, Nemrothe, tua, ferroqve recurvo
Ter ſunt conati de cœlo evellere divam,
Sanguineam vultu, mortaliaqve arma timentem:
Ter Menarchus eos multa vi reppulit, & ter
Expreſſos nigro Saturni è gramine ſuccos
Injecit miſeris, virusqve per oſſa cucurrit.
Obtiguere illi extemplo, victiqve dolore
Informes liqvere animas, qvas Tartarus imo
Excepit fundo, cruciandas omne per ævum:
Corpora ſed valido penitus labefacta veneno,
Membrorum molem in montes vertere ſuperbos,
Mutataqve ſuum nomen tenuere figura,
Unde hujus facti memores, tantiqve triumphi,
Solenni pompa celebrant pia feſta qvotannis
Lunicolæ, regemqve ſuum venerantur ovantes.
Progreſſi inde arcem petimus, qvæ tota nitebat
Auro gemmarumqve coloribus intertexis:
Hanc nulli fas eſt mortali intrare, meus dux
Inqvit: proinde foris ſtetimus, ſpatiumqve per amplum
Ingentis plateæ, diverſa è parte videmus
Adventare animas, conſiſtereqve ante tribunal.
E regione arcis poſitum, & mira arte paratum,
Illic jura dabant animis, alteqve ſedebant,
Crimina cenſentes, nec non benefacta notantes,
Qvæ qvisqve in terris vivendo geſſerat olim,

Tres Jovis & Doxæ nati, Teleſcopus, atqve
Dorophonus, ſemperqve volens ſibi recta Philotthus.
Hi merita & culpas æqvata lance videbant,
Arbitrioqve ſuo paucos aſcendere ad aſtra,
Innumeros vero ad terram deſcendere rurſus,
Complures etiam in luna perſtare jubebant.
Obſtupui tacito obtutu, tandemqve locutus:
Dic bone dux mihi qvæſo, inqvam, ſi tartara in imis,
Sunt latebris terræ (ut perhibent) centroqve propinqvis,
Atqve animas illuc vectas poſt corporis uſum
Æacus & Minos & terrificus Rhadamanthus
Judicat, & meritas pœnas aut præmia confert,
Cur eadem hic fieri video, repetiqve peracta
Judicia, expendiqve iterum mortalia facta?
Ille autem, humanam mentem (reſpondit) opaco
Carcere membrorum clauſam, ignorantia & error
Opprimit, & longè oppreſſam per devia ducit,
Hinc hominum genus in nugas & ſomnia pronum
Et procul a à vero, niſi qvis Deus adſit, aberrat. (eſt.
Non mirum eſt igitur ſi veſtri multa poëtæ
Falſa canunt, qvoniam paucis via cognita veri eſt.
Tu tamen hæc memori myſteria pectore habeto:
Omne qvod eſt ſupra lunam, æternumqve bonumqve
Eſſe ſcias, nec triſte aliqvid cœleſtia tangit:
Qvicqvid verò infra lunæ convexa creavit
Omniparens natura, malum eſt, mortisqve ſeveras
Perpetitur leges, & edaci abſumitur ævo.
Hæc loca disjungit medius lunæ orbis, utriqve
Mundo interjectus, cœli confinia ſervans.
Ergo ubi terrenos artus liqvere, feruntur

Huc omnes animæ, atqve ipſis commiſſa fatentur
Judicibus: qvorum juſſu, loca certa, ſuisqve
Moribus apta petunt, & habent ſua præmia in illis.
Qvanto qvæqve magis vitiorum fæce gravata eſt,
Tanto etiam magis ad centri turbida tendit.
Contra qvo melior qvæqve eſt ac purior, hoc ſe
Altius attolit, ſummoqve propinqvius orbi.
At qvibus æqva boni eſt animis menſura, maliqve,
Hic remanent, habitantqve diu lunaria regna:
Donec poſt multos longævi temporis annos,
Aut lapſæ in vitium rurſus terrena reviſant,
Aut bene purgatæ æthereas mittantur ad arces.
Hæc ait, aſt ego tunc, Cur tam paucæ ardua (dixi)
Aſtra petunt animæ, & ſumo potiuntur Olympo?
Cur ſic in vitium pronæ labuntur, & ipſam
Virtutem fugiunt miſeræ, luciqve tenebras
Præponunt? cur fœda magis qvam pura ſeqvuntur?
Unde illis tantus furor, & tam cæca voluntas?
Tunc ita reſpondit nobis Areteïus heros:
Et cupio, & fas eſt tibi me recludere multa,
Judice te, pulchra, & ſcitu digniſſima, qvando
Non te huc adveniſſe reor ſine numine divum,
Et divi hæc te ſcire volunt, ad limina qvorum
Nemo venire poteſt vivus niſi vectus ab illis.
Ergo audi, & qvæcunq; loqvar, fac mente reponas.
Sed prius hinc operæ pretium eſt ſecedere paulum:
Ivimus, atqve alia in ſpecula conſedimus ambo,
Unde maris terræqve orbem ſpectare licebat.
Tunc has divino deprompſit pectore voces:
Eſſe malæ per ſe neqveunt, nec ſponte ſuapte
In vitium tendunt animæ, qvarum æthere ab alto
Eſt genus, & qvarum divino è ſemine origo eſt:

Nec

Nec prava eſſe poteſt per ſe natura animarum:
Qvas Deus ipſe creat, qvo nil auctore mali fit:
Sed ſunt qvædam aliæ cauſæ, qvæ in tartara cæca
Detrudunt miſeras, & multo crimine fœdant:
In primis verò corpus: nam carceris inſtar
Eſt animæ, qvam dum membrorum nexibus arctè
Implicat, ætheræ mentis ſuffocat acumen,
Haud ſecus ac intus poſitam vas fictile flammam.
Et nebulæ nitidum obducunt Hyperionis orbem.
Tunc anima ipſa ſubit cunctarum oblivia rerum.
Tunc bibit infernam lethen, raſæqve tabellæ
Efficitur ſimilis, qvam dextera nulla notavit.
Ergo ita captivam, & moribundo in carcere clauſam,
Mille qvidem illudunt peſtes, mille undiqꝫ monſtra
Oppugnanant qvaqve arte valent evertere tentant,
Qvalis viminea dum fortè qvieſcit acanthis
In cavea, mulcens vario ſua facta canore;
Ad qvam prorepit ſummiſſo corpore fallax
Ælurus, miſeramqve infeſtans undiqve terret
Venator murum ælurus, volucrumqve peremptor.
Illa autem meruèns rabiem prædonis, in omnes
Obvolitat partes, ac ſe fugitando tuetur.
Interea alter adeſt hoſtis, ſimiliqve furore
Attonitam infeſtat, donec per latius æqvo
Unguibus immiſſis prenſam extrahit intervallum,
Et ſolito extractam mandens cum murmure glutit.
Talis diverſo hinc illinc urgetur ab hoſte
Infelix anima, & fugieus hæc retia, in illa
Incidit, humano dum corpore clauſa tenetur.
Neſcit enim qvid agat, qvo ſe retrahatve feratve
Et decepta boni ſpecie velut ebria nutat.
Unde niſi auxilio monitoris, & arte docentis

Paulatim in lucem è tenebris ducatur opacis,
Deteriora petit ſemper, meliora refutans.
Prima igitur labes animæ, & contagio prima,
Præcipuumqve malum, qvod culpa corporis illi
Evenit, eſt veri atqve boni ignorantia, de qva
Judicium falſum exoritur: qvæ maxima peſtis
Humano eſt generi, de qva duo monſtra creantur,
Stultitia atq; ſcelus, ſed ab his mala cuncta duobus,
Proveniunt, qvæcunqve homines patiuntur aguntve.
Qvippe omnes peccant, vel qvod bona falſa ſeqvuntur,
Stultitia monſtrante viam: vel qvod ſcelus illis
Immittit ſtimulos, qvibus in facta impia aguntur.
Propterea rectè aut ſtultus dici, aut ſceleratus
Ille poteſt qvisqvis peccat ratione relicta.
Verum in parte animæ qvæ concupit, ipſa recedit
Stultitia atqve illic habitans tentoria fixit:
In parte autem alia qvæ iraſcitur, eſt ſcelus, armis
Terribile atqve dolis, & lethiferis aconitis.
Hi duo ſunt reges magni, & magna agmina ducunt
A tergo, humanumqve genus populatur uterqve.
Ambo etenim veri expertes, falſoqve creati
Judicio (ut dictum eſt) animas in carne ſepultas,
Naturæqve ſuæ immemores, ac lucis egentes,
In tria ſtagna erebi & mortis ducuntq; trahuntqve:
Qvorum unum fertur limoſum, illiqve voluptas
Præſidet: aſt aliud ſpinoſum dicitur, in qvo
Regnat avaritia, & lucrandi effræna cupido:
At reliqvo eſt nomen fumoſo, cujus habet jus
Imperiumqve tenet ſitibunda ſuperbia honoris,
In tribus his ſtagnis animarum maxima toto
Turba

Turba perit mundo, hæc illis immenſa ruina eſt.
Namqvæcunqve undis merguntur talibus, illas
Perdit amor carnis, fugitivorumqve bonorum:
Nec ſe ultra agnoſcunt, cœliqve oblivia potant,
Uſqve adeò ut vitam præterqvam corporis, ullam
Eſſe negent, ſeſeqve aboleri in funere credant.
O viles craſſasqve animas, & ab æthere prorſus
Averſas, nil egregium, & ſublime putantes,
Sed pecudum more in terras tantum aſpicientes?
Sunt & cauſæ aliæ propter qvas efficiuntur
Pravæ animæ, unde malis multis jure afficiuntur.
Namqve ubi denſatur nubes, pluviæqve creantur,
Et venti horriſono concurſu fulgura gignunt,
Illic pravorum ſedes eſt dæmoniorum,
Qvorum opera fiunt peſtes, inſanaqve bella,
Et tempeſtates, terra pelagoqve furentes.
Horum aſtu, ſuaſu, hortatu, impulſuqve doloqve,
Turba ignara hominum ruit in turpiſſima qvæqve
Flagitia: hinc recti, hinc obliviſcuntur honeſti.
Sed qvoniam tentatores & dæmones iſtos
Perverſos, paucis conceſſum eſt poſſe videre,
Pauci ideò credunt uſqvam reperirier illos:
Imò aliud nihil eſſe putant qvam nomen inane
Pleriqve, ac veluti ægrotorum inſomnia rident.
Tu tamen hunc abs te errorem propelle, meisqve
Crede, fidemqve adhibe (nam ſunt veriſſima) dictis
Utqve ſcias melius nullas me fingere nugas,
Jamjam oculis ſaxo propriis tute omnia cernes.
Sed prius hic tentare opus eſt Thaumantida vo-
Qvæ mandata ſolet Junonis ferre per auras. (tis,
Diſſipet ut vento nubes, cœlumqve ſerenet,
Impediat ne te ſpectantem turbidus aër.
Ergo Irin ſupplex tali ſum voce precatus,

Iri decus cœli, vario ſpectanda colore,
Qvæ nube ingentem roranti porrigis arcum,
Adverſoqve ſinu radiantis lumina Phœbi
Excipis, abſorptasqve ad nubila convehis undas:
Iri hominum ſtupor, & Junonis nuntia magnæ,
Thaumantis verè proles miranda vetuſti,
Redde precor nobis pulſa caligine clarum
Æthera, & Æolio imbriferos pulcherrima claude
Carcere diva Notos, proqve his permitte ſerenos
Stellati cœli Boream percurrere campos.
Continuò his dictis ſeptem de parte trionis
Emicuit Boreas, & ſic cis flatibus omnem
Aëra purgavit latè, purumqve reliqvit.
Poſt hæc neſcio qvo irrorans mea lumina ſucco
Dux meus, aſpice, ait, jam mundi arcana videbis.
Pandite nunc veſtros fontes, veſtra antra ſorores,
Qvæ juga lauriferi Parnaſſi excelſa tenetis,
Et mihi (namqve opus eſt) date centum in carmina linguas,
Ut poſſim aëreos reges, populosqve referre,
Ludificatores hominum, ſcelerumqve magiſtros
Qvi aſſiduè vexant mortalia cuncta, ſuisqve
Artibus humanas tradunt in tartara mentes.
Hic ubi puniceo conjux Tithonia curru
Oceano emergit primum, primumqve niteſcit,
Nocturnas abigens rubicunda luce tenebras,
Ingentem vidi regem, ingentiqve ſedentem
In ſolio, crines flammanti ſtemmate cinctum,
Pectus & os illi turgens, oculiqve micantes,
Alta ſupercilia, erectus, ſimilisqve minanti
Vultus erat, latæ nares, duo cornua lata.
Ipſe niger totus: qvando nigra corpora pravis
Dæmonibus natura dedit, turpesqve figuras.

Dens

Dens tamen albus erat, ſannæ albæ utrinq; patentes
Alæ humeris magnæ, qvales veſpertilionum,
Membranis contextæ amplis, pes amplus uterqve,
Sed qvalem fluvialis anas, qvalemve ſonorus
Anſer habere ſolet: referebat cauda leonem.
Nudus erat, longis ſed opertus corpora villis.
Multa illi adſtabat turba, innumerusqve ſatelles.
Circũ aderant longè lateqve, qvot agmina Xerxem
Non habuiſſe puto, peteret qvum Marte Pelaſgos,
Infelix, vix inde fuga rediturus inermi.
Qvisqve ſuis uncum manibus, follemqve tenebat.
Folle qvidem ut capita inflarent, ventoq; replerent
Illorum qvibus aut magnas fortuna dediſſet
Divitias, vel qvos doctrina, robore, forma,
Nobilitate, aliis multis præſtare viderent:
Unco autem, ut qvos impleſſent petulantibus auris
Jam ſatis atqve ſuper, fumoſa in ſtagna tumentes
Pertraherent, prædam ranis colubrisqve futuros
Atqve aliis habitant illo qvæ gurgite monſtris.
Regi huic (qvem dixi) nomẽ fuit, eſtq; Typhurgo,
Sic etenim ajebat declarans cuncta meus dux.
Poſt hæc occiduas qva Titan vergit in undas,
Et prono curru extremis impendet Iberis,
Sollicitam direxi aciem, ſimilemqve priori
Proſpexi regem ſublimi in ſede locatum,
Apleſto cui nomen erat: populosqve regebat
Spirituum innumeros, Solis qvoſcunqve cadentis
Fert regio, atqve plagis qvicunq; morantur in illis.
Dipſada qvisqve manu dæmon geſtabat & uncum,
Tunc Jovis atq; Aretes natus, viden, inqvit, ut ipſos
Qvisqve ſuum irritent angues, digitisq; laceſſant?
Ut morſu graviore petant, graviore veneno
Inficiantur terrenorum hominum viliſſima corda?

Nam qvi peſtiferi læduntur vulnere dentis,
Amittunt mentem miſeri, & cæleſtia prorſus
Deſpiciunt, tantaqve ſiti vexantur ut unqvam
Expleri neqveant, fruſtraqve bibendo laborent,
Dumqve ita neqvicqvam ſemper ſitiuntq; bibuntq;
Immemores mortis, ſortis, cœliqve, ſuiqve,
Ecce adſunt diris armati dæmones uncis,
Abripiuntqve illos, & adhuc ſitientia figunt
Guttura, ſpinoſi ſtagni mergenda ſub undas,
Illic innumeris pœnis plectuntur, & illic
Plurima monſtra latent, præſertim plurima hi-
Morſibus aſſiduis qvorum noctesq; diesq; (rudo,
Intolerabiliter cruciati, deniqve reddunt
Qvem vivendo aliis olim extraxere cruorem,
Nec tales minuunt longiſſima ſæcula pœnas.
Ergo hic rex facit, & punit qvos fecit avaros.
His dictis converti oculos ad frigida mundi
Sidera, qvà geminam noſter polus aſpicit arcton,
Et ſua ſemper agit circum ſarraca Bootes.
Illic regem alium, video innumerasqve malorum
Spirituum turbas, Aqvilonia regna colentes,
Geſtantesq; hamos manibus, tunc dux meus inqvit
Rex hic qvi gelidis Boreæ dominatur in oris
Luxuriæ atq; gulæ eſt princeps, idemq; Philocreus
Nomen habet, non fraude aliis neqve viribus impar
O qvantum noxæ cæcis mortalibus affert!
Namqve hamis qvos ipſe vides, dulcem inſerit
eſcam,
Infectam tamen occulto, Stygioqve veneno,
Hisqve capi jubet inſulſos, ſtagniqve lutoſi
In vada nigra trahi captos, & gurgite mergi,
Qvi mox mutati in brutorum corpora, fiunt
Porci, aſini, tauri, vulpes, urſiqve, lupiqve,

Atqve alia, humanæ qvæ ſunt expertia mentis.
Nec ſatis hoc, veſpis, crabonibus, & ſcarabeis
Torqventur miſeri aſſiduè, qvæ plurima in illis.
Obvolitant ripis animalia, ibiqve morantur.
Talibus oblectant placantqve Philocroa pœnis,
Gaudia qvi carnis, ſpreta virtute, ſeqvuntur.
Hæc ait, aſt ego, qvà vertex declivior auſtrum,
Nubiferumqve Notum gignit, genitumqꝫ per oras
Anguiferæ Libyes, ſpatia in contraria mittit,
Proſpiciens viſu intento, qvanta agmina cerno,
Et qvantos paſſim conventus dæmoniorum,
Hinc atqve hinc nigris alis per inane volantum.
Rex erat in medio magnus, magnaqve corona
Inſignis, qvi torva acie, vultuqve maligno
Vibrabat ſtridens linguam patulo ore triſulcam,
Vipereum in morem, & virus ſaniemqve vomebat:
Qvalem murenæ coluber ſtimulatus amore,
Gaudia conjugii metuens temerare veneno?
Effundit ſumo in ſcopulo, effuſamqve reponit
Cautibus in rigidis, mox ſaltu præcipitem ſe
Dejicit in medias ſinuoſi fluminis undas,
Sibilaqve ingeminans charam veſtigat amicam:
Illa ſono audito, confeſtim occurrit amanti,
Multipliciqve ambo contingunt corpora nexu.
Aſt ubi jam Veneris tandem eſt expleta voluptas,
Emergit lætus coluber, peſtemqve relictam
In ſcopulo repetit prudens, ſuaqve arma reqvirit:
Qvæ ſi amota videt, vel proculcata, dolore
Afficitur tanto, ut mœrens, vitamqve peroſus,
Terqve qvaterqve caput ſaxis illidat acutis,
Donec morte animam & curas ſimul exuat omnes,
Iſte igitur rex talis erat, talesqve videbam
Eſſe ſuos populos: plerumqve eſt regis imago

Vulgus, & ad mores accedere principis optat.
Dextra erat ipſorum fallaci armata dolone,
Lividaqve ora, atri dentes ſpumoſaqve labra:
Regem hunc invidiæ eſſe patrem dominumqve Timalphes
Ajebat referens, ipſumqve Miaſtora dici,
Qvo inſtigante ſui mortalia corda miniſtri
Tartareis implent ſpumis; tunc improba peſtis
Diffundens ſeſe, totos contaminat artus:
Præſertimqve oculos angit, ne proſpera ferre
Alterius poſſint, intabeſcantqve videndo.
Poſtremò infixis per terga dolonibus, ægras
Extrudunt animas, triplici qvas gutture mandit
Cerberus, & manſas aconita in triſtia vertit:
Corpora ſcorpiones fiunt, & acumine caudæ,
Qvamvis blanda illis videantur brachia, lædunt.
Sed tu jam medias contemplare aëris oras,
Sarcotheumqve vide qvi rex eſt primus, & idem
Peſſimus hunc alii reges metuuntqve coluntqve:
Huic ſervit qvicqvid tenet orbis dæmoniorum,
A qvo ceu qvodam centro genus omne malorum
Emicat, ut radii ſolis de corpore manant,
Aſpexi hunc igitur, ſævum horribilemqve ſuperbo
Extantem ſolio, ſcelerataqve ſceptra tenentem.
Sanguineæ criſtæ huic ſurgunt, & cornua ſeptem
Erecta, & totidem ingentes referentia turres.
Auribus atqve oculis lucent, & naribus ignes,
Oraqve fumoſas evolvunt grandia flammas.
Heu qvod habet ſecum comites, qvantasqꝫ phalan-
Inſtructas telis & bombiferis tormentis (ges
Iſte tyrannus agit, tanqvam perfringere cœlum
Vellet & ætherea ſuperos depellere ab aula.
Tunc mihi ductor ait. Fuit hic pulcherrimus olim,
Su-

Supremoqve Jovi chariſſimus: at mala mentis
Conditio, & lætis cognata ſuperbia rebus,
Attulit exitium miſero, par namqve volebat
Eſſe Deo, cupiens æqvalem ſedis honorem.
Proinde relegari meruit, juſſusqve Michaël
Conſtituit certos illi inter nubila fines.
Sæpe tamen priſcæ laudis, veterumqve bonorum
Non oblitus adhuc, & ſpe deluſus inani,
Bella movet ſuperis, cœlumqve irrumpere tentat:
Hinc fragor, hinc tonitrus, metuendaqve fulmina fiunt,
Horrificiqve ignes nigranti nube coruſcant
Terrentur pecudes, humanaqve corda tremiſcunt.
Sed furit incaſſum, & vexat labor irritus illum,
Nec potis eſt ultra æthereos intrare penates:
Qviqve prius lucis lator, diciqve ſolebat
Lucifer, eſt nunc noctis amans, gaudetqve vagari
Per noctem, lemures ſecum & phantaſmata ducens:
Perqve diem interdum, qvoties committere qværit
Armatas nebulonum acies, & ſternere cæſis
Corporibus campos: vel qvum crudelia nautis
Fata parat, miſeraſqve undis operire carinas:
Aut qvum grande aliud tentat ſcelus: ille enim tunc
In lucem prodit, ſed clam: mittitqve latenter
At loca certa ſuos famulos, qvi corda malorum
Inſtigant hominum, furiisqve audacibus implent:
Et taciti inſpirant mentem, non voce loqvuntur.
Aſt ego, qvæſo (inqvam) mi dux, jam dæmones iſtos
Mittamus, resqve humanas tandem aſpiciamus
Namqꝫ de hac ſpecula facile eſt terramqꝫ fretumqve
Cernere: non leviter nos hæc ſpecctacla juvabunt.
Cœpimus ergo ambo mortalia contemplari.
Mirabar primùm vario diſtincta colore

Corpora: nam media gens eſt qvæ proxima Zonæ
Nigra erat, & craſſis labris, criſpisqve capillis,
Et nuda, aut ſimæ corio male tecta capellæ.
Qvæ verò gelidis Boreæ reperitur in oris,
Vincebat candore nives, & frigora longis
Veſtibus, ac multo vix defendebat amictu.
Hanc illamqve inter gentem qvicunqve morantur
Innumeri populi, nigro tinguntur & albo,
Sed magis atqve minus: qvanta eſt diſtantia ſolis.
Talia dum ſtultè admiror: qvid frivola curas?
Qvid vanos ſpectas humana in carne colores?
Dux meus inqvit: erit melius perpendere mores
Atqve animorum habitus varios, operumq; figuras
Ex qvibus agnoſces, meqve oſtendente videbis,
Qvæ ſit vita hominum, & qvantum chaos erret in illa.
Principio tibi finge manum, qvæ pollice cœlum
Aſpiciat, paſſis digitis: & pollice in ipſo
Pone hominum genus illorum qvibus optima mens eſt.
Qvi res humanas ſpernunt, divinaqve tantùm
Mirantur, qvibus inprimis ſapientia cordi eſt.
Qvi contemplari naturam atqve æthera gaudent,
Innocui mites, juſtumqve piumqve colentes,
Qvos neqve divitiæ capiunt, neqve turpia carneis
Gaudia, nec tumidi ſplendor titillat honoris:
Cœleſtes homines, humano in corpore divi,
Rari adeò: perfecta etenim ſunt omnia rara.
O utinam talem te Juppiter eſſe juberet!
Proximus huic digito eſt index, ubi ponere oportet
Prudentes homines: genus hoc eſt qvippe ſecundum.
Eſtqve bonum, tamen in terras declive, regendis

Urbibus ac populis aptum, rebusqve gerendis,
Juſtitiam colit atqve fidem, moresqve pudicos;
Non tamen exutum eſt terreno prorſus amore.
Cui ſi qvando Deus rerum permittit habenas,
Imperiiqve decus, tunc aurea ſæcula fiunt,
Tunc floret virtus, terrasqve Aſtræa reviſit,
Pax viget, & vitium duris cohibetur habenis.
Poſt ſeqvitur medius digitus, qvi infamis habetur
In qva ſede aliud genus eſt tibi conſtituendum,
Illorum qvibus eſt magnæ ſolertia mentis:
Ingeniiqve vigor, nec non vis magna loqvendi:
Sed pravi ſunt, injuſti, vitiisqve referti,
In terras curvi, nunqvam æthera ſuſpicientes,
Aſtuti inprimis, falſoqve in pectore vulpem
Geſtantes, turbamqve ignarum decipientes.
Qvumqve odio virtutem habeant, qvum numina temnant
Se ſimulant juſtos tamen ac virtutis amantes,
Proqve albis nigra, & pro nigris alba loqvuntur:
Omnia vel lucri faciunt vel laudis amore,
Nec niſi præſentem vitam ſperàntve timèntve,
Hi ſunt qvi ſemper prudentibus adverſantur,
Armatiqve dolis, confidentesqve favori.
(Qvem ſibi ſervitio turpi vel munere blando
Conciliare ſolent) ſanctis conatibus obſtant
Prudentum, & nubem veris rationibus obdunt:
Qvæ ſi non proſunt artes, tunc res agitur vi,
Utuntur ferro, flammis, atroqve veneno:
Lædere ſi neqveunt furtim, graſſantur apertè,
Ergo his militibus, ſeſe ac ſua regna tuetur
Ipſe malus dæmon, tali ſe robore fulſit,
Tali præſidio terram ſibi ſubjicit omnem.
Nam longè plures ſunt, & longè aſperiores

Aſtuti qvàm prudentes, ideoqve reportant
Palmam plerumqve, & victa probitate triumphant.
Qvi qvum ſceptra tenent, & præſunt urbibus, ætas
Ferrea regreditur, mavortia bella reſurgunt:
Juſtitiam & leges vincit furor; omnia demum
Bachantur vitia impunè, & jacet obruta virtus.
Hoc hominum genere eſt nullum ſceleratius inter
Mortales, nec cœlicolis odioſius ullum eſt.
Proxima ſtultorum eſt ſedes, qvartoqve locari
In digito debet, ſtultorum maxima turba eſt.
Qvis neſcit? gaudet ſtultis natura creandis,
Ut malvis atqve urticis & vilibus herbis.
Hi ſunt obtuſo ingenio, craſſoqve cerebro.
Et nihili pendunt animi bona, ſolaqve ventris
Et Veneris, pecudum ritu, oblectamina qværunt,
Qvos bipedes aſinos ipſi mille artibus atqve
Inſidiis capiunt aſtuti, plurima eiſdem
Perſuadere ſolent injuſta & falſa, ſuoqve
Eloqvio qvocunqve volunt ducuntqve trahuntqꝫ
Credula qvandoqvidem eſt ſtultorum, ceu puerorum
Turba, ſed in vitium magis: hæret opinio ſemper
Illis deterior qvibus eſt qvoqve deterior mens.
Hinc eſt qvòd ſtulti aſtutorum qvam prudentum
Promptius auſcultant dictis, & credere malunt:
Qvippe ferunt prava aſtuti, & plerumqve doloſa
Conſilia, & vitium pulchro ſub cortice velant.
Sed licet in multis aſtuti ludificentur
Hos qvos dixi aſinos, tamen una ſuperſtitionis
Eſt facilisqve via, & cunctis jam cognita ſeclis,
Qva aſtuti inprimis utuntur. Namqve deorum
Addicunt ſeſe templis, ac ſacra miniſtrant:
Tunc implent urgentqve metu inſulſiſſima corda:

Stulto-

Stultorum, terrentqve minis, niſi numina placent
Muneribus, redimantq; datis ſua crimina nummis:
Qvos ipſi mox accipiunt, qvibus & ſua ſæpe
Scorta ſacerdotos caſti, mulasqve ſaginant.
Nempe ſacerdotum qvalis ſit vita, modusqve
Fallendi ſtultos, qvis non videt? attamen ipſis
Hæc impunè licent: tanta eſt clementia regum,
Duntaxat ludo, ventri, Veneriqve vacantem.
Hæc qvoqve dii faciles tolerant, parviqve videntur
Pendere, qva ſua ſacra manu, qvo pectore fiant:
Qvo probro in terris, qvove afficiantur honore.
Sed redeo ad ſtultos, qvos qvando extollit, & alto
Collocat in ſolio, cupiens Fortuna jocari:
O qvot ſtultitiis tunc omnia plena videbis?
Qvas memorare nimis longum foret, improbitas tunc
Exultat, virtusqve movet contempta cachinnum.
Tum choreis lautisqve epulis, variisqve vacatur
Ludis atqve jocis, tum ſcurrarum ac meretricum
Agmina cernuntur paſſim, tunc ſola voluptas
Turpis & inſipiens, toto dominatur in orbe.
Qvalis enim rex eſt, talis qvoqve ſubditus illi
Eſſe ſolet populus, ſtudiisqve tenetur eiſdem.
Non eſt ſola tamen ſtultis cognata voluptas:
Ira freqvens etiam qvatit illos, pronus in iram
Stultorum eſt animus, facilè excandeſcit, & audet
Omne ſcelus, qvoties concepta bile tumeſcit:
Tunc ferri ſceleratus amor, rixæqve cruentæ
Surgunt, & gelidæ dant plurima corpora morti.
Ergo ferum genus hoc hominum eſt, valdeqve cavendum,
Vltimus eſt digitus minimus, qvo ſæpius aures
Scalpuntur, diciqve ideo ſolet auricularis:

Hic locus eſt inſanorum qvi mente videntur
Exuti, qvibus eſt uſus rationis ademptus.
Qvorum ſi nunqvam ceſſet furor, expedit illos
Oppetere, & tantũ moriendo relinqvere morbum.
Ergo hominum duo ſunt genera, & non plura bonorum.
Cætera (nam mala ſunt) vitato ſedulus; aut ſi
Non vitare potes ſaltem irritare caveto;
Nam furit atqve ferit ſæviſſima bellua vulgus.
Poſtqvam ſic fata eſt proles Areteia nunqvid
A vitiis (inqvam) poſſunt ad honeſta vocari
Officia, aſtuti & ſtulti? an via nulla medendi eſt
Criminibus? vel ſi qva via eſt, ediſſere qvæ ſit.
Tali autem mihi tunc reſpondit voce Timalphes;
Natura ut multos humano in corpore morbos
Ingenuit, ſic multa animo mala contulit ægro,
Atqve ſuos parti utriqve eſt largita labores.
Aſpice qvanto hominum genus amplectatur amore,
Opportuna tamen medicamina multa creavit:
Qvod niſi feciſſet, nimis iracunda fuiſſet.
Ergo eadem nocuit, qvæ profuit, utqve nocendo
Ingenioſa fuit, fuit ingenioſa medendo;
Ut dubites marerne an ſit dicenda noverca.
Sed nunc mittamus morbos, & pharmaca, qvæ ſunt
Corporis, iſta patent jam multis edita libris.
Deqve animo (ut melius qvæ me paulò ante rogaſti
Percipias,) qvantum res poſtulat ipſa, loqvamur.
Principiò ut juſſu naturæ ruſtica tellus,
Vrticas tribulosqve & vilia gramina gignit,
Ni cultura freqvens adſit, multòqve labore
Ingratas raſtris ac vomere diſſipet herbas:
Nec ſatis hoc, opus eſt etiam bona ſemina ibidem
Sparge-

Spargere, & aſſidua ſparſis inſiſtere cura:
Sic animus dum corporeo ſtat carcere vinctus,
Horreſcit denſis vitiorum ſentibus, & fit
Penè ferus, niſi prudenti cultore juvetur
Qvi vitia expungat, virtutesqve inferat aptè.
Sed qvæ ſit cultura animi, fortaſſe reqviris.
Eſt ſophia, eſt inqvam ſophia: hanc intellige, mores
Qvæ docet, atqve probos homines facit, & vivendi
Rectè monſtrat iter mortalibus, ut pietatem
Juſtitiamqve colant ſuadens, & crimina vitent.
Sola hæc nimirum ſophia & ſapientia vera eſt,
Non ea cui paſſim medici vafriqve cuculli
Temporibus noſtris incumbunt nocte dièqve,
Qværentes rerum abſtruſas evolvere cauſas,
Naturæqve intus latitantis pandere clauſtra,
Materiam primam, vacuamq́; ac mille Chimeras
Inflatis buccis ructantes, ut videantur
Docti, & rugoſas diſtendant ære crumenas.
O bellam ſophiam, cujus ſtudioſa juventus
Aut inhiat lucro, aut ſterili ambitione tumeſcit!
Sed nil candidior, ſed nil moratior exit.
Non hæc eſt cultrix animi, & ſapientia dici
Jure neqvit: potiusqve vocanda ſcientia, ſi non
Ambiguos veri calles decepta relinqvit.
Ergo hanc qvi didicit, ſcit, non ſapit: atqve ſcientis
Nomen habere poteſt forſan, ſed non ſapientis.
Hæc duo ſunt etenim ſpatiis disjuncta reductis,
Suntqve operum diverſorum, ſapientia fructum
Producit vitæ, fert ipſa ſcientia florem.
Prodeſt illa, ſed hæc ornat: conſiderat illa
Qvæ ſunt intra hominem, hæc circa exteriora vagatur
Illa pium ac juſtum, hæc doctum facit atq́; diſertum.

Proinde animi cultrix sola est sapientia, mores
Qvæ docet, ut dixi, hæc etenim vitia omnia vellit,
Virtutesqve serit, qvas cœlesti irrigat imbre.
O humani generis lux, ô via vera salutis,
Præsidium, portus, solamen, regula vitæ,
O pax & medicina animi, ô venerabile asylum,
Suavior ac potior sapientia nectare! qvis te,
Qvis te nunc amat aut seqvitur? tibi qvis locus, aut qvis
Est honor in terris? qvondam regnare solebas
In templis, in porticibusqve, & gymnasiis &
Consiliis, regumqve aulis. Nunc cognita nulli es,
Sed pro te regnant nugæ, & mera somnia vatum.
Qvid nunc in ludis pueri, imprudensqve juventus
Discit? fabellas turpes, vel prorsus inanes.
Ecce sedens altè præceptor, codice aperto
Excreat: & postqvam circum spectavit hiantes,
Arrectasqve aures tironum, voce sonanti
Aut tragicas larvas, aut comica scorta referre
Incipit, aut veterum insanos effutit amores:
Aut qvod monstrosum & sævum & plorabile narrat
O caput elleboro dignum! sic pectora pura
Imbuis? & rerum ignaros hac fruge saginas?
Hoc sale conditur tenera ac petulantior ætas?
Non pudet his nugis absumere turpiter ævum?
Hinc tot ubiqve vides pravos, tot ubiqve scelestos:
Hinc & tanta seges vitiorum crescit ubiqve,
Qvando nulla animis cultura adhibetur honesta.
O curruptores, non cultores puerorum!
Discite vos prius, inde aliis ostendite rectam
Vivendi formam, & sanctos inducite mores,
Ne pecudum ritu vitam ducatis inertem.
Tu verò Stellate audi: id namqve docebo.

Et paucis, qva animus tibi ſit ratione colendus:
In primis unum eſſe Deum meditare freqventer,
Immenſum, æternum, ſummum, optimum & omni potentem,
Qvi cœlum, & toto fulgentia ſidera cœlo,
Cæteraqve aut oculis apta, aut non apta videri,
Ex nihilo, nutu ſolo, ſine tempore fecit,
Factaqve perpetuo ſtudio ſervatqve regitqve.
Hunc venerare, time, cole, lauda, & ſæpe precare,
Nocte dieqve, oritur qvum ſol, qvumqve occidit, & qvum
Aeqvali ſpatio meta disjunctus utraqve eſt.
Nam prima eſt virtus, prima eſt ſapientia, regem
Cœlicolum patremqve hominum cognoſcere, amare,
Sinceroqve animo laudare, timere, precari,
Hoc ſine virtutes alias nihil eſſe putato:
Hoc verò ſolum penè eſt ſatis. Ergo teneto
Corde ac mente Deum ſæpe, & ſæpe ore vocato:
Hac pietate poteſt tibi nil contingere majus.
Hæc ad virtutes alias eſt janua, qvippe
Divino neqveunt prorſus ſine numine haberi
Virtutes aliæ, & neqveunt vitia ipſa caveri.
Præterea cives cœli, angelicasqve cohortes,
Et ſummi regis famulos, ſanctosqve miniſtros
Divinæ majeſtatis juſſa efficientes,
Adſtantesqve illi feliciter omne per ævum
Aetheris in campis puri ſemperqve ſereni,
Sæpe piis precibus ſupplexqve orare memento,
Ut tibi præſto adſint, ut ſæva pericula pellant,
Dignenturqve Deo te commendare, profectò
Poſſunt atqve ſolent multum prodeſſe rogant?
Angelicæ mentes, humanaqve vota ſecundant.

Nec ſis tu è numero illorum (cave qvæſo) putant qvi
Nil melius naturã homine, ac nil dignius uſqvam
Finxiſſe, inſani: qvum tot terraqve mariqve
Vivere conſpiciant animalia: in æthere credunt
Stellarumqve globis nullos habitare colonos,
Et deſerta poli cenſent ſpacia ampla beati.
O curvas animas, ô pectora plena tenebris?
Percipere humani ſenſus non omnia poſſunt:
Plurima ſunt qvæ oculos fallunt, ſed mente videntur,
Unde acies mentis potius ratioqve ſeqvenda eſt,
Qvæ docet eſſe deos, cœlumqve habitarier: ergo
Aut ſtellæ dii ſunt, aut lucida templa deorum:
His fundamentis jactis, amplectere deinde
Juſtitiam, & per te nulli unqvam injura fiat,
Sed verbis aliisve modis fuge lædere qvenqvam:
Qvodqve tibi nolles aliis feciſſe caveto:
Qvodqve tibi velles, aliis præſtare ſtudeto.
Hæc eſt naturæ lex optima: qvam niſi ad unguem
Servabis, non ipſe Deo (mihi crede) placebis.
Poſtqve obitum infelix non aurea ſidera adibis.
Alterius famam vel honorem tangere, vel rem
Invidia, aut ira, aut ſuadente cupidine, noli:
Immo juva, qvos eſſe bonos intelligis, omni
Sedulitate: maliſqve interdum gratificare,
Qvò tibi vel nunqvam noceant, vel parcius obſint.
Nec te à juſtitia retrahant mala munera, amorve,
Aut odium, namqve hæc tria ſunt qvæ lumina mentis
Præſtringunt, rectoqve homines à limite trudunt:
Sed memor eſto Dei ſemper, mortiſqve futuræ.
Poſt hæc illecebras omnes fuge corporis, atqve
Fræna voluptati duriſſima pone: voluptas

Improba perniciem ingentem mortalibus affert:
Nil magis adverſum eſt virtuti, tendere ſurſum
Nititur aſſiduè cognato ad ſidera virtus:
Contrà inimica polo, ſemper petit ima voluptas,
Et pecudum it morem deſpectat cernua terram,
Suffocans animi vires & corporis: unde
Ignavos facit, & morbos inducit amaros.
Hæc illa eſt Circe, hæc Syren, hic hamus iniqvi
Dæmonis: hoc laqveo inumeros capit, & prohibet
Poſt mortem patrii redeant ad limina cœli, (ne
Callidus, & ſecum tenebris includit avernis.
Has ergo inſidias, hoc blandum & dulce venenum
Hoſtis tartarei, qvantum potes aufuge cautus:
Ne te pæniteat fruſtra, qvum ſerior ætas
Sentiet ingenium, famam, rem, membra periſſe
Exiguo mellis guſtu, & dulcedine inani.
Tunc etenim, ut multi, dices, O tempore pulchra
Qvàm malè vos novi! qvò fugiſtis? miſerum me,
Si mihi nunc reddat pueriles Juppiter annos,
Et liceat Samios iterum contingere ramos,
Pergam illuc dextro qvò tendit littera cornu:
Sit licet anguſtus limes, perqve ardua ſurgat.
Eſt melius virtute nihil, qvæ permanet omni
Tempore, qvæ laudem tribuit, largitur honorem,
Cenſum auget, vitam ſervat, poſt funera durat,
At me infelicem decepit blanda voluptas,
Qvæ jam pridem abiit, meqve inter damna reliqvit
Namqve ego dum juvenis meretricia luſtra fre-
qvento,
Dum ventri & ſomno, & ludo ſum deditus amens,
Diſcere nil volui, ſtudium librosqve peroſus,
Contempſiq; bonas artes: nunc (heu) video me
Indoctum, inſamem, ſine nummis, corpore fracto.

Mente hebeti, ſenſu obtuſo : vixi hactenus, ut qvi
Dum ſtertit, vigilare tamen ſe credit, & errat.
Talia ab ignavis jactari verba freqventer
Conſuerunt, ubi jam morti vicina ſenectus
Expendit ſero malé ductam examine vitam.
Maxima pars pecore amiſſo præſepia claudit
Tumqve ſapit qvum calva retrò fortuna receſſit:
Et medicum qværit, qvum ſpes eſt nulla ſalutis.
O miſeri, dum tempus adeſt, cognoſcite tempus:
Nam fugit hora levis, nec ſcit fugitiva reverti.
Nil lacrymæ & gemitus defuncto corpore proſunt:
Utilis eſt medicina ſuo qvæ tempore venit.
Qvare tunc opus eſt qvum florere incipit ætas.
Virtutem amplecti: tunc rectum carpere oportet
Videndi callem, & ſtudiis incumberè honeſtis:
Tunc eſt utendum ratione, animusqve regendus
Conſilio, dum mollis adhuc, ne fortè malarum
Melle voluptatum captus, petat avia præceps.
Qvi ſapit, hic ſapiat citò: nam ſapientia ſera
Proxima ſtultitiæ eſt, fertqve importuna dolorem,
Deplorans fruſtra grave & irreparabile damnum
Eſt tibi præterea ſitis improba divitiarum
Omnino, & ſcelerata auri vitanda cupido:
Namqve ubi avaritia eſt, habitant fermè omnis ibidem
Flagitia, impietas, perjuria, furta, rapinæ,
Fraudes atqve doli, inſidiæqve & proditiones,
Iurgia, & infandæ cædes, qvid ſingula narrem,
Deniqve ſordidus nil eſt, nil pejus avaro:
Qvi totus terræ immerſus, ceu talpa, cupit nil,
Nil amat agnoſcitve aliud, qvàm munera terræ;
Propter qvæ ſolet omne ſcelus patrare, Deumqve
Nullum alium, præter nummum, væſanus adorat.

Nec videt infelix qvàm ſit fragilisqve brevisqve
Vita hominum, & qvam moras contracto ſemper ab arcu
Excutiat gelidas humana in corda ſagittas,
Nec juveni parcat, nec docto, nec locupleti,
Sed qvodcunqve caput nullo diſcrimine pulſet:
Sæpe etiam proprius tunc ſit qvum longius eſſe
Creditur & ſubitos ferat improviſa tumultus.
At tu divitias terrenas, & bona cæcæ
Subjecta imperio ſortis, nec pendere magni,
Nec multum curare velis, nam propria cuiqvam
Non ea ſunt qvæ pro arbitrio largitur & aufert
Inſtabilis Fortuna ſuo; vel morte recedunt.
Diverſos dominos permutatura viciſſim.
Sunt alia inqvirenda tibi bona, ſunt potiores
Divitiæ cupiendæ, omni qvæ tempore durant:
In qvas nec morti, nec ſorti eſt ulla poteſtas.
Has cumulare tibi ſtudeas noctesqve diesqve:
Nam verè tunc dives eris, vereqve beatus.
Cætera, qvæ vulgus demens miratur & optat,
Si tibi ſint, nummi, fundus, domus & pecus, illis
Utere, (qvis prohibet?) juſtè tamen atqve modeſtè:
Qvumqve potes, miſerere inopum, & ne deſpice egenos,
Hoc pacto acqvires laudem, æternamqve ſalutem
Et pro terrenis cœleſtia munera habebis.
Non homo, ſed lupus eſt, qvem non clementia tangit,
Qvi non alterius miſeranda ſorte movetur,
Qvi negat auxilium ſocio præſtare roganti.
At ſi pauper eris, patienter ſuſtine, & æqvo
Pectore pauperiem tolera: magis ille ſiniſtris
Caſibus afficitur, plus curarum atqve laborum

Per-

Perperitur, qvi plura tenet, cui plura dedit ſors;
Deprimiturqve adeò rerum gravitate ſuatum,
Ut contemplari nunqvam cœleſtia poſſit.
Eſſe levem & vacuum terrenæ fæcis oportet
Illum qvi æthereas animo vult tendere ad arces.
Nam qvo qvisq; magis terram petit, hoc magis alto
Abſtrahitur cœlo, ſuperaqve à luce recedit,
Atqve ubi qvisqve ſuos theſauros poſſidet, illic
Aſſiduè cor habet, ſemper convolvitur illic.
Eſt igitur multis, paupertas utilis, illos
Exonerans, ut ad aſtra volent levioribus alis.
Sed tibi non minus eſt vitanda ſuperbia, mater
Rixæ odiiqve urbes ſtudia in contraria ſcindens,
Excidiumqve ferens multis. Hac peſte laborans
Olim Roma ruit, civili oppreſſa furore.
Hoc fuge tartareum monſtrum, ſi qværis amicus!
Eſſe Dei, & tandem cœlo poſt fata potiri,
Nemo ſuperbus amat ſuperos, nec amatur ab illis,
Vult humiles Deus ac mites, habitatqve libenter
Manſuetos animos procul ambitione remotos:
Inflatos verò ac ventoſos deprimit idem,
Nec patitur ſecum puro conſiſtere Olympo.
Ergo utres tumidi qvid veſtra ſuperbia vobis?
Qvid tituli illuſtres, præclaraqve nomina proſunt?
Qvæ citò mors rapit, & lethæas mergit in undas?
Laudari à vulgo cupitis, vulgoqve placere:
Dicite, judicii qvid habet plebecula veri?
Vos putat eſſe deos: qvid tum? qvum ſitis aſelli,
Humana exterius tantùm apparente figura?
Fallitis ignaros homines, non fallitis ipſos
Cœlicolas: imò his riſum ſtomachumqve movetis:
Nam veſtros mores, occultaqve crimina norunt.
Sed vos, ò cæci, divos nihil eſſe putatis:

Nec

Nec ſupereſſe animas, extincto corpore, veſtras
Creditis, atqve ideo præſentis commoda vitæ
Optatis tantùm, deridetisqve futuram.
Qvàm multæ pecudes humano in corpore vivunt!
Hinc veſtri erroris cauſa eſt, veſtræqve ruinæ,
Qvòd nil craſſa acie niſi corpora craſſa videtis,
Nec veras res, ſed rerum cognoſcitis umbras.
Maxima pars fumo gaudet, fumoqve repletur.
Stulti, qvid fumo eſt levius? qvid inanius? aut qvid
Ridiculum magis eſſe poteſt qvàm qværere honorem
Immeritum, & cauſas veri contemnere honoris?
Aſpicimus pravos, indoctos, mentis egentes,
Sublimi in ſolio poſitos, dominarier illis
Qvi ſe ſunt longè meliores, & qvibus ipſi
Deberent ſervire magis; nempe improba ludit
Rebus in humanis Fortuna, & lege ſine ulla
Omnia confundit, plerumqve ad ſidera tollens
Ignavos ſervos, piſtrino & carcere dignos.
At ſi ſana foret, ſolis ſapientibus orbem,
Ut decet, ut par eſt, committeret ipſa regendum,
Cuncta etenim rectè fierent, legesqve vigerent:
Sacraqve tractarent puri innocuiqve miniſtri,
Et dii ſe ſinurent mortali luce videri:
Sed perſonatis gaudet temeraria nimis
Fert tamen iſta Deus ſummus, qvi talia poſſet
Corrigere & cur nos etiam non iſta feramus?
Qvid prodeſt verum firma ratione tueri,
Et nihil proficere, atq; odium ſibi qværere fruſtra?
Spernitur, ac damnum patitur ſapientia, cui non
Reſpondent vires, qvam nulla potentia fulſit
Unde tacere qvidem præſtat: tu deſpice laudes
Inſulſas vulgi, & fortunæ munera cæcæ:

Atqve Deo ſtudeas omni virrute placere
Poſt cineres eſt verus honos, & gloria vera,
Qvæ datur aſtrifero in cœlo juſtisqve piisqve,
Tunc mites humilesqve ſuo lætantur honore.
Aſt Stygia mæſti lacrymans in valle ſuperbi.
Poſtremò compeſce iram, parit ira furorem,
Turpia verba furor: verbis ex turpibus exit
Rixa: ex hac oritur vulnus: de vulnere lethum.
Ira adeò mentem confundit, ut ebria bile
Ferventi, neqveat dignoſcere qvid ſit agendum:
Judiciiqve expers plerunqve per avia tendat.
Mox dolor atqve pudor facta conſulta ſeqvuntur.
Ergo cave hanc, animumqve rege, & te vince, ferendo
Fortiter: egregia eſt etenim patientia virtus:
Qva qvicunqve caret, careat probitate neceſſe eſt,
Sitqve ſerus, ſemper rixas & jurgia ſemper
Exercens: propria eſt nimirum rixa ferarum,
Pax verò tranqvilla decet mortalia corda.
Vir bonus & ſapiens qværit ſuper omnia pacem,
Vultqve minora pati, metuens graviora, cavetqve
Ne parvo ex igni ſcelerata incendia ſurgant.
Qvi nil ferre poteſt, hominum commercia vitet,
Et ſolus degat ſilvis aut montibus altis.
Qvi verò humanos cœtus urbesqꝫ freqventat,
Diſcat multa pati, frænisqve coërceat iram,
Diſſimulans conceptam arcano in pectore bilem:
Nec facile, atqve levi de cauſa, abrumpere pacis
Vincla velit, qvantumqve poteſt ignoſcat amicis,
Ut poſſit qvam aliis veniam dedit, ipſe mereri.
Pauca hæc de cultura animi dicenda putavi,
Sufficiuntqꝫ ſatis. Potuiſſem his addere plura:
Sed cui ſunt hæc pauca, illi non cætera deerunt:

Ad-

Advenientqve ultro qvæcunqve videntur omiſſa:
Nam comprenduntur tacitè, & clauduntur in iſtis.
Attamen interea ſapientum incumbere libris
Eſt operæ pretium, & rerum perqvirere cauſas,
Deniqve doctrinis variis componere mentem:
Qvippe animus ſine doctrina eſt ignavus hebesq;
Hoc igitur pacto (ut dictum eſt) floreſcere poſſunt
Virtute ac meritis ſtulti aſtutiqve colentes
10. Seſe animumqve ſuum, & cœleſti ſede potiri
Talia dum memorat ductor meus, ecce deorum
Nuntius, Atlantisqve neposq;, Jove miſſus ab ipſo,
Aſtitit, atqve jubet ſupera ad convexa Timalphen
Ire citò namqve ajebat dudum eſſe vocatos
Cœlicolas omnes Jovis ad tecta aurea ſummi:
Velleqve de rebus gravibus nonnulla referre
Momum, utrum qvoſdam monachos in colle manentes
Extra urbem, cujus prope mœnia labitur atqve
Intrat in Adriacas piſcoſus Ariminus undas,
Divitiis deceat privari, & partibus illis
Qvas auferre ſolet criſtatis villica gallis:
Qvum ſint laſcivi nimium, nimiumqve ſuperbi,
Et ſpernant omnes, & turpia multa licenter
Committant, ſenis exemplo qvi præſidet illis.
Proh pudor, hos tollerare poteſt eccleſia porcos,
Duntaxat ventri, veneri, ſomnoqve vacantes?
Qvo audito confeſtim abiens Areteius heros,
Mercurio me commendat, qvi ad tartara iturus,
Plutoni ſecreta patris mandata ferebat,
Hic comprenſum arctè tenuit me. & nubila vexit
Per media in terras, qvo Thuſeus tempore Clemens
Intra Felſineos habitans cum Cæſare muros,
Florentinam urbem longa obſidione premebat,

Ergo Atlantiades, qvatiens talaribus auras,
Pervenit tandem sancti ad prærupta Marini
Saxa, & stelliferum ferientes æthera rupes.
Inde, brevi lapsu, posuit me in pinguibus agris
Verruculi mox infernas properavit ad oras.

LIBER DECIMUS.

Synopsis LIBRI X.

Hoc libro culturam animæ, qvoad scientias & artes, plenissime absolvit author. Sub principio autem vehementer satis & ironice in Monachorum hypocrisiam & luxuriam invehitur. Deinde Methodum studendi proponit. Sapiens omnia sua, qvocunqve tendit, facile secum portat, dives agris non ita. Sophi veteres Deum precati lapidem philosophorum acqvisiverunt; cujus parandi modum ænigmatice describit. Sapientem connubio adstringi non decet; bellum nisi pro aris & focis omnino dedecet. Homines ad virtutis amorem excitat author, Eremitæ cujusdam exemplum proponens, cui scelera hominum nauseam moverant. Spiritus Dei corda solus purificat, qvo imbutus paucis ad vitam sustentandam indiget. Vita duplex animi & corporis hanc vulgus, illam sapientes vivunt. Pravi animam mortalem esse credunt & optant, boni contra. Meditatio miseriarum humanarum hominem da Deum adducit, de qvibus egregie perorat. Aulam Papalem ipsumqve Papam Clementem per transennam lepide perstringit. Consideratoqve qvam impossibile sit, in terris ad veram Sapientiam pervenire, huic libro finem imponit.

CAPRICORNUS.

SALVE Atlantiades: Stygia de valle redisti
Tam cito? dic qvæso, qvidnam Plutonis in aula
Nunc agitur? Fit rixa ingens, ingensq; tumultus
Cur hoc? Dicam eqvidem, qvamqvam festino reverti
Ad superos, tanta est Turcarum, Christicolumqve,
Ac Judæorum turba illic, ut locus illam
Non capiat. Vacuni nihil est, sunt omnia plena,
Vestibulum plenum, plena atria, regia plena,
Templa, domus, plateæ, fora, mœnia, deniqve tota urbs,
Et campi, & colles, & frondiferæ convalles,
Usqve adeo ut sese impellant, trudantqve vicissim
Calcibus & pugnis & morsibus, aspra gerentes
Prælia: nam ferro neqveunt decernere manes,
Nec fas est illis iterum succumbere morti,
Vix potui transire, & Ditis limina adire,
Per densas umbrarum acies, cuneosqve coactos.
Fit via vi: irrumpens aditus, arctissima laxo
Agmina, disjicens crebro hujus verbere virgæ.
Tandem pervenio ad nigri penetralia Regis,
Qvem video tristi efflantem suspiria vultu.
Postqvam illi exposui patris mandata, jubentis
Solvi Antichristum è cavea, terrasqve per omnes
Emitti, ut faciens miracula falsa, docensqve
Jam summam advenisse, mundiqve ruinam,
Omnia perturbet, pecudes, hominesqve, deosqve:
Imperat hoc etenim fatorum immobilis ordo:
Qvæso (inqvam) Pluton, cur sic es tristis? at ille
Nonne tibi indignum, injustum, infandumqve videtur,

Vos adeò latum cælum, immenſumqve tenere,
Qvum ſitis pauci, qvumq; illuc vix hominum tres
Vel paulò plures, longo poſt tempore pergant:
Et me tam anguſto in regno & parvo eſſe locatum
Qvò innumeri veniunt mortales qvalibet hora?
Omnes Judæi, Turcæ omnes, non tamen omnes
Chriſticolæ (fateor,) ſed certè portio major
Huc huc deſcendunt, hæc ad vivaria currunt,
Cur ad noſtra magis mittuntur limina? vel cur
Ille meus frater, qvi poſſidet æthera, ſaltem
Presbyteros, fratres, monachos, non accipit intra
Septa poli, ſedesqve ſuas, & continet illic?
Non pudet, hos homines qvi in templis tam bene cantant
Qvaqve die, & ſacris in turribus æra fatigant,
Qvi tot thura adolent, tot ſcortorum miſerentur
Qvi ſolvunt alios, ſua crimina ſolvere nolunt,
Qvi veſpillonum funguntur munere, & ornant
Templa Deûm ſtatuis, picturis, atqve ſepulchris:
Mittere ad infernas ſedes, & plectere pœnis,
Millia qvot non fert ſitiens Apulia muſcas?
Pontifices etiam ſummos nihil ille veretur:
Imò jubet cunctis aliis pejora ſubire
Supplicia: unde Erebo miſeri clauduntur in imo,
Atqve illic miris cruciatibus afficiuntur.
Qvare Cylleni qvum ſidera ſumma reviſes,
Dic fratri, dic (qvæſo) meo me cuncta libenter
Facturum qvæcunqve jubet: ſed conſulat idem
Regno etiam noſtro, & noſtras non deſpiciat res:
Aut trahat hinc aliqvot manes, aut tartara laxet.
His dictis, Faciam, reſpondi, atqve inde receſſi.
Nunc redeo ad ſuperos, & me properare neceſſe eſt.
Infelix, noſtriqve memor, tu Muſa memento

Ver-

Versiculos dictare mihi: nam charta parata est,
Et calamus, nec scribenti grata otia desunt:
Incipe, meqve doce, qvali sophus ordine fiat,
Principiò nasci fausto sub sidere oportet,
Illum qvicunqve est sapiens felixqve futurus:
Distat enim multum qvali sub imagine, qvali
Sub facie cœli qvisqvam nascatur: ut ajunt,
Qvi astrorum motus, vires, & nomina norunt,
Et geneses hominum observant, & fata recludunt,
O qvàm magna, &, qvàm miranda potentia cœli (est,
Qvo sine nil pareret tellus, nil gigneret æqvor
Cœlum est Oceanus, rerum pater: astra, sorores
Sunt nymphæ: omne bonum in terras delabitur in (de.
Esse igitur sapiens & felix nemo potest qvi
Nascitur adverso cœlo, stellisqve sinistris,
Per magni refert etiam, qvos qvisqve parentes
Accipiat, qvo sit pacto nutritus, & à qvo
Instructus, nam qvos mores puer adbibit, & qvas
Artes à teneris didicit, retinebit adultus.
Illa diu durant, animisqve tenaciter hærent,
Qvæcunqve à primis nascentes hausimus annis.
Ergo sit probus & doctus prudensqve magister
Qvi puerum instituat, cogatqve assuescere honestis
Utqve peritus eqves, nunc huc nunc torqveat illuc
Indomitum, frænis simul & calcaribus utens.
Nec tantùm verbis moveat, sed validius ipsum
Exemplis moveat, qvid enim benè dicere prodest,
Si malefacta aliud monstrant, verbisq; repugnant?
In primis studeat lascivis atqve scelestis
Arcere à sociis: commercia turpia sanctos
Corrumpunt mores: multi hoc periere veneno.
Vis tu nosse hominem qvalis sit? perspice amicos
Illius: associant similes natura, Deusqve:

Cum paribusq; pares habitant, vivuntqve libenter,
Valde igitur caveant cum præceptore parentes,
Ne puer aut juvenis laſcivus & improbus illum,
Qvem fore felicem ac ſapientem gnaviter optant,
Moribus obſcœnis contaminet: (heu facile omnes
Labimur in vitium, & facilè ad pejora movemur!)
Intereà puer hic qvem fingimus, ut ſapiens ſit,
Græcis incumbat libris, pariterqve Latinis:
Et qvantum potis eſt, evadat doctus, honeſtos
Perlegat auctores, & ſcripta inhoneſta refutet.
Indoctum rarò eſſe probum contingit, & atras
Errorum in tenebras mentem ignorantia trudit.
Attamen à ſtudio nimio, nimioqve labore
Abſtineat: ne dum ſapientia qværitur, amens
Fiat, vel morbum incurrat, ſeſeqve trucidet
Immodica officiunt, nec longo tempore durant.
Interdum genio indulgens, animumq; relaxans
Et vacet, & ludat nempe interjecta vigorem
Fert reqvies, reparant tempeſtiva otia vires.
Sed qvanqvam dignæ ſcitu pulchræqve bonæqve
Diſciplinæ omnes videantur, ſunt tamen iſtæ
Præcipuæ, & qvæ naturam & qvæ ſidera pandit.
Hiſce igitur totis incumbat viribus, haſce
Perdiſcat ſophus hic noſter, jam grandior ævo,
Inqve harum ſtudio graviores conterat annos,
Et ſimul (ut dictum eſt ſuprà libroqve priori)
Culturam excercens animi, juſtusqve piusqve
Fiat, & exornet duplici ſua tempora lauro
Qvam pulchrum eſt hominem pariter doctum eſſe probumqve
Et ſcire & ſapere! inſipiens doctrina timenda eſt.
Ut furioſus habens gladium, ſic doctus iniqvus,
Verum non ſatis eſt animum curare, bonisqve
Moribus

Moribus & doctrina æqvè componere, qvando
Corporis eſt etiam ratio non ſegnis habenda.
Corpus enim malè ſi valeat, parêre neqvibit
Præceptis animi magna & præclara jubentis.
Qvare danda opera eſt ut victus ſit bonus, unde
Gignatur ſanguis purus, nam noxius humor
Plerumqve ex pravis epultis per membra creatur.
Ebrietas eſt vitanda, ingluviesqve ciborum:
Qvippe caput ſtomachumqve gravant, fumisqve cerebrum
Involvunt, ſtupor hinc ſeqvitur, ſomnusq; diurnus
Parcus edat, parcusqve bibat, vir doctus & æqvus.
Excercere etiam corpus mediocriter apto
Tempore conducit multum, viresqve reducit.
Segnities robur frangit, longa otia nervos
Debilitant, ignava qvies effœminat artus.
Præterea calor immodicus, frigusq; cavendum eſt,
Atqve aër craſſus nimium, regioqve paluſtris:
Præſertim ſole æſtivo, qvum Sirius agros
Diffindit, viridiqve canunt ſub fronde cicadæ:
Deniqve conandum pro viribus ut bene ſanum
Sit corpus, præcepta animi ut bene cuncta faceſſat,
Qvod facilè haud fieri poterit, ſi dura vetabit
Pauperies: opus eſt nummis vel morte relictis,
Vel ſorte inventis, vel qvavis arte paratis.
Qvippe inopem mala multa pati contingit ubiq;
Nec ſine divitiis fas cuiqvam ducere vitam
Felicem. Heu qvam ſæpe gemit rerum indiga virtus
Qvàm contempta jacet ſi ſacra pecunia deſit?
Ille autem dives verè proprièqve vocatur,
Qvi valet ingenio, eloqvio prudentia, & arte:
Atq; ubicunq; manet, victum ſibi qværit honeſtum:
Et qvamvis loca multa petat, diverſaqve longê,

Fert ſua qvæqve tamen ſecum bona: nec ſibi deſunt
Commoda, qvæ poſſint lætam producere vitam:
Nec metuit fures, nec lævorum arma latronum:
Seqve iterum veſtit citò, ſi qvando expoliatur.
Vera etenim virtus fortunæ cedere neſcit.
Qvælibet urbs, totuſqve orbis patria eſſe videtur
Egregio fortiqve viro, & bene vivit ubiqve.
At virtute carens, qvamvis ampliſſima paſſim
Prædia poſſideat, qvamvis exuberet auro,
Non tamen ire poteſt qvò vult, terrasqꝫ per omnes
Currere, diverſos hominum perpendere mores,
Diverſos ſpectare locos, & vivere ubiqve.
Qvippe domos, agrosqve ſuos, ſcrinia ſecum
Ferre neqvit qvocunqve meat, ne fortè latronum
Hæc rapiat manus, aut fallax voret omnia Pontus,
Mox mendicus egens aliena cibaria qværat.
Sedibus ergo iiſdem patriaqve moratur eadem,
Semper ubi vinum & ſegetes ſua prædia reddunt,
Utqve relegatus metuit tranſcendere fines
Qvos ſibi præſcripſit ſua ſors, & inertia mentis:
Unde videre neqvit vaſto qvæ plurima in orbe
Fiunt pulchra, ſuis latebris ut carcere clauſus,
Proinde ſophi veteres ſubtili indagine qvendam
Commenti lapidem, ſibi fida viatica cunctis
Permanſura locis nunqvam interitura pararunt,
Qvo auxilio varias terras, diverſaqve regna
Cernere, & multis qvamplurima diſcere poſſent
Qvondam igitur triſtes imploravere deorum
Numina mactatis de more bibentibus antè:
Mercurium in primis, ſolem, lunamqve precari
Funderunt tales puro de pectore voces:
O mundi decus, ô divùm pulcherrime Titan,
O qvæ nocturnas Latovia disjicis umbras.

O Jovis & Majæ inſtabilis fugitivaqve proles,
Cui datur in varias ſe transformare figuras,
Adſitis placidi, & noſtras audite qverelas.
En pauci, qvorum mens eſt ſublimis, & altum
Ingenium, qvibus aſſiduè ſapientia cordi eſt:
Dum cauſas rerum & naturæ arcana videre
Nitimur, im̃enſumqve animo metimur Olympum,
Pauperie premimur, patimurq; incommoda multa,
Deficimusqve fame: interea plebs vilis & amens
Cuncta ſibi rapit, & nummos ſibi congregat omnes,
Nec noſtri qvenqvam miſeret: ſi poſcimus ullam
Rem, digitum oſtendunt medium, & nos ludificantur.
Unde agros fodere, aut jumenta ſtrigare coacti,
Aut ſtabulis efferre fimum, vix qværere victum
Poſſumus, & ſtultis miſeri ſervire jubemur.
Qvare vos divi ſaltem miſereſcite noſtri,
(Si qva cælitibus pietas & cura bonorum)
Et facilem monſtrate viam, qva vivere honeſtè,
Et veri latebras inveſtigare qveamus.
Talibus auditis, divi advenêre vocati,
Reſponditqve prior Phæbus, Veneranda propago,
Semideum cœlo digni, ſuperumqve favore,
Audite, atq; animis mea dicta recondite veſtris:
Hunc juvenem Arcadium, infidum, nimiumqve fugacem
Prendite, & immerſum Stygiis occidite lymphis.
Poſt Hyales gremio impoſitũ Deus excipiat, qvem
Lemnia terra colit, ſublatumqve in cruce figat:
Tunc ſepelite utero in calido & diſſolvite putrem:
Cujus ſtillantes artus, de corpore noſtro
Spiritus egrediens penetrabit, & ordine miro

Paulatim extinctum nigris revocabit ab umbris,
Aurata indutum chlamyde, argentoqve nitentem:
Projicite hunc demum in prunas, renovabitur alter
Ut phœnix: & qvæ tanget, perfecta relinqvet
Corpora, naturæ leges & fœdera vincens:
Mutabit ſpecies, paupertatemqve fugabit.
Phœbus ab his tacuit: dictis Cyllenius ales
Annuit, atqve eadem præſens Diana probavit:
Mox abière omnes, cœli ad convexa volantes,
Tunc mentis divinæ homines oracula cæca
Volventes animo ancipiti, vix tempore longo
Experti multa, & non parvis ſumptibus illam
Invenère artem, qva non ars dignior ulla eſt.
Fingendi lapidem æthereum: qvem ſcire profanis
Haudqvaqvam licet, & fruſtra plebs improba
qværit.
Qvem qvi habet, ille, poteſt, ubi vult, habitâte de-
center:
Nec fortunæ iram metuit, nec brcahia furum
Sed paucos tanto dignantur munere divi.
Forſan & hoc aliqvis roget, an deceat ſapientem
Connubio aſtringi, & generandæ incumbere
Atqve maritali ſeſe vincire capiſtro. (proli,
Qvanqvam aliqvi laudant, tamen hoc (me judice)
ſanctis.
Æthereisqve viris non convenit, impedit uxor,
Natorumqve effrænus amor, divina ſophorum
Ingenia, & mentes contemplari alta volentes,
Gaudeat uxorum & natorum amplexibus ille
Qvi tantùm terrena ſapit: crebrosqve hymenæos
Advocet: at ſapiens lætetur cœlibe vita,
Sit caſtus, purusqve & mente & corpore, nam qvi
Exiguo & raro victu contentus, ab omni
Abſtin-

Abſtinuit Venere, orando aſſiduèqve pièqve
Et contemplando, mentem & cœleſtia tollens.
Ille Deûm crebro viſu & ſermone fruetur,
Et felix fiet, proſpectabitqve futura.
Candida virginitas res eſt gratiſſima divis:
Huic ſeſe oſtendunt, huic multa arcana recludunt.
Contra luxuriam immundam, luſusqve pudendos
Odere ac fugiunt, deteſtanturqve ſalaces.
Nemo tamen virgo eſſe poteſt, niſi cui Deus adſit,
Auxiliumq́ ferat, donum hoc deſcendit Olympo
Humanis meritis, humanis viribus impar,
Qvo ſine non poterit ſapiens perfectus haberi.
Pulchrum etiam ſcitu eſt, an conveniant ſapienti
Horrida Mavortis tractare ferociter arma,
Hoſtiliqve ſuam temerare in ſangvine dextram,
Et ſibi pugnando immortale acqvirere nomen,
Qvandoqvidem multis virtus, laus, gloria, fama,
Major nulla qvidem qvàm bello parta videtur.
O cœci, ô miſeri, qvid bellum pace putatis (nil
Dignius, aut melius? nempe hoc nil turpius &
Qvod magis humana procul à ratione recedat.
Nam ratio & leges ſi ſemper ubiqve vigerent,
Nuſqvam bella forent, pax inviolata maneret.
Jura ſilent bello, bello lex opprimitur vi.
Tunc furor & vitium laxis bacchantur habenis:
Tunc pravi tollunt criſtas, & cornua ſumunt,
Impunè occidunt, feriunt, rapiuntqve, nec ulla
Judicis admoniti formidine cuncta profanant.
Pax decet alma hominem, gaudet fera bellua bello.
Arma amens amat, arma cupit, qvicunq́ laborem
Odit iners & inops, qvi vivere luxurioſè
Vult, qvamvis neqveat, non reſpondente crumena.
Proinde animam vendit pretio, ſeſeqve pericli

Ob-

Objicit, ut raptis alienis victor ovansq;
Ad proprios referat prædam & ſpolia ampla pena-(tes,
At qvicunqve domi eſt dives, vel ſufficienter
Arte poteſt aliqva ſeſe nutrire, ſuosqve,
Militiam refugit, pacemqve libentius optat.
Sic niſi mens inſana illi, inſulſumqve cerebrum.
At dices, etiam magni regesqve ducesqve
Sæpe armis, delectantur, Martemqve ſeqvuntur.
Qvid tum? nonne etiam magni regesqve ducesqve
Delirant ſæpe, & vitiorum peſte laborant?
Stultitiisqve ſuis ſæpe urbes exitio dant?
Et qvum multa habeant, cupiunt plura? omnis avarus,
Et ſi poſſideat: qvantum Tagus excipit auri,
Pauper inops & egens tamen eſt. hoc ergo furor:
Reges atqve duces dira impelluntur in arma,
Imperiumqve ſibi miſerorum cæde lucrantur.
Sed qvanqvam bellū turpe, exitiale, nefandū eſt
Non tamen utilitatis habet nihil, omnia vafri
Fallacesqve homines, uſuræ & fraudibus apti,
Agglomerant cumulantq; ſibi, qvo tempore pax eſt
At qvum bella fremunt, miles malè parta rapit vi.
Tunc meritò vulpes ulciſcitur ira luporum.
Præmia tunc fortes aſtutis digna rependunt,
Parqve pari referunt. Variat ſic omnia tempus.
Præterea reges mille artibus atqve rapinis
Qvum pax eſt, ſpoliant populos, atqve undiqve nummos
Corradunt, unde omne aurum argentumqve voraret
Fiſcus, ni bellum erueret qvod pace latebat,
Diſtribuens multis qvantum congeſſerat unus.
Poſtremò eſt hominum turba haud mediocris, habetqve

Nec rem, nec doctrinam, artemve, fugitq; laborem
Dedita neqvitiæ, prona in ſcelus, impia & audax.
Tales ergo homines, imò umbras, tempore certo
Mittit in arma Deus, crugeli morte necandos:
Sic genus humanum purgat: multosqve per annos
Qvi remanent, vivunt hilares, hac peſte remota:
Donec ſuccreſcant iterum mala gramina, rurſus
Evellenda acri bello, gladioqve ſecanda.
Tunc iterum immundas deſpumat Juppiter ollas;
Tunc iterum immiſſis furiis purgamina verrit.
Hic eſt perpetuus mundi ordo ab origine prima:
Has olim ſtatuêre vices fata ipſa, Prometheus
Qvum ferula æthereos in terram detulit ignes,
Et qvum Deucalion hominum tot millia naſci
De lapidum jactu Pyrrha cum conjuge fecit.
Ergo decet ſapientem uti ratione, & amare
In primis pacem: pacem complectier omni
Conatu ac ſtudio, niſi fortè aliqvando coactus
Pugnet pro patria, pro ſeqve ſuisqve tuendis:
Tunc venia eſt dignus, tunc fit ſine crimine bellum:
Nam jus fàsqve ſinunt vim vi propellere, fraudem
Fraude, velut meritum merito penſare decorum eſt
Qværendum ulterius ſapiens an debat ullam
Exercere artem, ſibi qva ſuccurrere egenti
Poſſit ſi qvando infelix patrimonia caſus
Abſtulerit, ſi qvando ferox fortuna malignam
Pauperiem intulerit rebus violenter ademptis;
Ne mendicus eat, patiens frigusqve famemqve,
Nimirum eſt aliqvid, fieri qvod poſſit honeſtè
A ſapiente, juvet qvo ſe, ſi cogat egeſtas.
Sit bonus & doctus medicus, medicina parabit
Sufficiens lucrum domino, morbosqve fugabit,
Hanc olim Phœbus coluit, Phœbeius atqve

Filius

Filius, hac ſeſe immortali nomine dignos
Effecêre: hanc didicit Chironis alumnus,
Qvanvis Æacidæ, qvanvis Nercide natus:
Hac fuit illuſtris Pæon, clarusqve Machaon,
Hippocratesqve ſibi æternum qvæſivit honorem.
Qvid memorem cunctos, qvibus hæc ars contulit olim
Et lucrum & laudem, & demũ poſt funera famam?
Egregius medicus, mendicus non erit unqvam.
Adde huc qvòd plena eſt occultæ cognitionis.
Hæc florum, herbarum, lapidum ſecreta recludit:
Et qvicqvid tellus intra ſua viſcera celat,
Perſpicit, ac vires natura provida pandit:
Corporis humani partes conſiderat omnes,
Et revocat multos regnum ad Plutonis ituros.
Ergo qvid hac potius ſapientem ſcire decebit?
Ut non ſolùm animos poſſit ſanare monendo,
Verum etiam membris ægris prodeſſe medendo:
Sic utramqve hominis partem tutabitur idem,
Sic hominem totum ſapiens ſervabit ad unguem.
Aſt ubi jam ſeros Lacheſis nere incipit annos,
Et jam canities fœdat barbumqve comamqve,
Tunc ipſum decet in primis reqvieſcere, & uſqvam
Siſtere, nec varias ultra percurrere terras,
Sed certam ſedem, certos habitare penates,
Atqve ibi degendæ vitæ opportuna parate,
Ne deſint alimenta ſibi veniente ſenecta.
Interea tamen à turba ſecedere, paucis
Contentus ſociis debet, ſolusqve freqventer
Nocte dieqve Deum purgata mente precari,
Et penitus ſeſe divinis contemplandis
Dedere, & humanas animo propellere curas.
Tunc aderunt divi ſecreta in valle moranti,

Aut colle,aut nemore umbroſo , aut in vertice montis
Exiguas ædes deſertaqve tecta colenti.
Non adeo tutum eſt cum multis vivere, & urbes
Stultorum plenas habitare, interqve latrones
Sacrilegos, cupidos, rixoſas, ambitioſos
Verſari fugiat ſapiens commercia vulgi.
Qvandoqvidem inviſa eſt vulgo ſapientia, propter
Diſſimiles nimium mores: contraria ſemper
Se oppugnant ſemperq; ſibi adverſantur & obſtant,
Hinc periere ſophi complures, qvod voluere,
Qvando aliqvid fieri pravè injuſteqve videbant,
Carpere ſtultorum mores, ac dicere verum.
Et qvia non poterant ferre, & malefacta tacere,
Afflicti à ſtultis, interfectiqve fuere.
Qvare ne videat ſapiens tot turpia, neve
Diſcrimen ſubeat, dum vera & honeſta tuetur,
Secernat ſeſe à vulgo, ſtudeatqve latere,
Et ſocios habeat paucos, doctosqve probosqve.
Qvanqvam illi raro deerit præſentia divum.
Nam ſapiente ſolent ſuperi gaudere, & ab illo
Permittunt ſeſe audiri cerniqve libenter,
Illius & mira pectus dulcedine complent.
Felix in terris ſapiens, & in æthere felix.
Ite ergo ò cœci mortales, ite, & avaras.
Cogite divitias, loculos diſtendite nummis
Per fas atqve nefas, digitos onerate lapillis,
Aureaqve indigno glomerate monilia collo,
Et Serum veſtes paſſim oſtentate ſuperbas,
Perqve forum medium tumidis incedite buccis,
Ite, inqvam, ô cœci mortales, ſceptra coronas
Imp eria, & demum qvicqvid temeraria vobis
Largiri fortuna poteſt, nunc pectore toto
Affectate

Affectate: brevi tamen hæc tam pulchra recedent,
Somnia ſunt cuncta hæc durantia tempore parvo,
Qvæ citò vel vobis ſors auferet, aut rapiet mors:
Qvæ facilè ut fumus fugiunt, neqveuntqve reverti
Ite ite, ò miſeri, nebulasqve capeſſite inanes
Qvum poſtrema dies, atqve hora noviſſima vitæ
Adveniet, tunc tunc veſtratum ſtultitiarum
Neqvicqvam memores, vos deliriſſe ſcietis
Et neſciſſe viam rectam, fruſtraqve pigebit.
Heu dum tempus adeſt, errorem agnoſcite veſtrum:
O curvas nimirum animas: ô vilia corda,
Cur pecudum more in terram tantum aſpicitis? cur
Nunqvam oculos ad ſidereas extollitis arces?
Ille ille eſt verus mundus, vera omnibus illic
Vita datur, qvicunq; Deum metuuntqve coluntq;
Illic nec ſorti, nec morti eſt ulla poteſtas:
Divitiæ veræ ſunt illic, deliciæqve,
Qvas pater omnipotens ſolis ſapientibus affert,
Qvas non ulla poteſt ſeries abolere dierum..
Huc igitur veſtros animos intendite, donec
Fata ſinunt dum veſtra trahunr ſubtemina Parca
Nonne hominum vitam tenui pendere capillo,
Nonne perire brevi mortalia cuncta videtis,
Ac veluti fumus, tenues vaneſcere in auras?
Qvo nunc tot reges auro gemmisqve ſuperbi?
Qvò tot pontifices ſummi, qvi ſe eſſe putabant
Æqvales ſuperis, abiere? in fœda ſepulchris
Oſſa jacent, forſanqve animas ſtyx atra coërcet,
Expulſas procul à felici ſede piorum:
Atqvi ibi dant pœnas faſtus, ſcelerumq; ſuorum
Qvàm vellent nunc, ſi poſſent, ſua corpora rurſus
Induere, atqve novis iterum ſe includere membris,

Ut

Ut proſtergatis opibus, regnoqve relicto,
Vitam agerent puram & ſanctam ſub paupere tectô
Juſtitiaqve ſua cœli ſibi numen amicum
Efficerent, ac morte obita fruerentur Olympo!
Sed qvi ſero ſapit, fruſtra ſapit. Ocyus ergo
Pro ſe qviſqve Deo ſtudeat virtute placere,
Terreniſqve bonis ſpretis cœleſtia qværat.
Deniqve ab exemplo ſapientis diſcite, qvi res
Humanas parvi faciens, & commoda vitæ
Præſentis fugitura brevi, bona vera futuræ
Sperat, & agnoſcit diis oſtendentibus ipſis.
Talis Appollineo Soractis vertice montis
Vivebat ſapiens, paucis contentus amicis,
Tempeſtate mea, macer & barbatus in æde
Exigua, & ferrugineo veſtitus amictu:
Præſtantis vir doctrinæ, vultusqve verendi:
Semotam & cinctam ſilvis habitabat eremum.
Enthea mens cujus venturi præſcia fati,
Veranimis qvoties vellet reſponſa canebat,
Reſponſa antiqvis nunqvam cedentia Delphis.
Hujus ego impulſus fama per longa viarum
Perrexi ſpatia ad ſacri faſtigia montis,
Conveniqve ſenem ſub aprica rupe ſedentem.
Qvi poſtqvam acceptam mihi reddidit ore ſalutem,
Suadet ut aſſideam, aſſedi, & ſimul iſta rogavi,
Cur ſibi tale genus vitæ delegerit, æqvo
Ipſe modo poſſit dura inter ſepta manere.
Plurima ubi deſunt humanis uſibus apta.
Tunc mihi vir ſanctus reſpondens, talibus inſit:
Intra urbes olim placuit mihi vivere, qvando
Junior ac rerum ignarus nihil eſſe putabam
Optandum, niſi divitias & commoda vitæ

Præſentis, vulgi exempla erroremqve ſecutus.
Tunc, ego gaudebam turba cœtuqve virorum.
Cumqve aliis præceps in gaudia vana ruebam.
Deceptus falſa ſpecie veriqve boniqve.
Sed poſtqvam ſubiit gravior labentibus annis
Ætas, acceſſitqve mihi prudentia major,
Cœpi hominum mores (divino numine credo
Impulſus) mecum perpendere & acta notare,
Vivendiqve modos varios, examine acuto.
Turpia multa qvidem fieri & ſcelerata videbam,
Juſtitiæ ſupereſſe nihil niſi nomen inane,
Puniri inſontes, ſontes impune vagari:
Virtutem in vitio, vitium in virtute latêre:
Pauperiemq; premi, & meritis plus poſſe favorem:
Jus venale, fidem extinctam, amiſſumqve pudorem
Omnes artificum coruptas fraudibus artes:
Latrones qvoqve cauponas conducere, ut illic
Sopitos melius peregrinos perdere poſſint.
Contemplabar item, multos furtoqve doloqve
Ditatos, licet obſcœnos, dignosqve capiſtro,
Laudati tamen atqve coli, multumqve timeri:
Imperia indignis committi & honoribus illos
Ornari, qvibus eſt hominis duntaxat imago.
Deniqve avaritia labefactam relligionem,
Atqve ſacerdotes tantum veneriqve gulæqve
Intentos, lucrum ficta pietate latenter
Qværere, & aſtutè vulgi exhaurire crumenas,
Dum pretio cœlum reſerant, & tartara claudunt,
Dum jactant ſe poſſe animas huc mittere & illuc,
Et precibus qvocunqve velint impellere divos.
His igitur cauſis ſeceſſi, atqve oppida liqvi:
Tutius eſſe ratus deſerta habitare, & in iſto
Qvod reliqvum foret ætatis mihi degere monte,

Monte ubi Sylvestri est venerabilis ara beati,
Et tanti monumenta viri celebrata renident.
Qvæ loca sint qvamvis salebrosa & inhospita, sanctis
Sunt tamen apta viris, pacem cupientibus, & qvos
Delectat servire Deo mentiqve vacare,
Qvi sese æthereis conjungere civibus optant,
Sed tibi difficile ac mirum fortasse videtur,
Me posse has inter rupes & saxa manere
Qvo pauci & rari veniunt, ubi plurima ad usum
Qvæ faciunt hominis vitæqve aptissima desunt:
Non tamen est ita difficile aut mirabile, si qvem
Spiritus afflavit, cœli demissus ab arce?
Spiritus ille Dei sanctus, qvi pectora purgat
Sublimatqve animas moribunda in carne sepultas:
Ceu sublimatur subjecti viribus ignis
Mercurius, nivemqve capit purgando colorem.
Spiritus hic mentem illustrat, cor dirigit, aufert
Terrenas curas, cælestem inducit amorem:
Qvo flagrans animus nil non tolerabile ducit,
Nil non ferre potest, levis est labor omnis amanti
Præsertim spem aliqvam magnæ mercedis habenti
Spes & amor, duo sunt calcaria fortia, qvæ nos
Audaces faciunt, comtemptoresqve laboris.
Propterea assiduis votis precibusqve petendum est
Vt delabi in nos dignetur spiritus iste,
Qvi cum spe ingenti ingentem producat amorem,
Qvo mens accensa ascendat sublimis Olympum,
Despiciens, terras & gaudia corporis hujus
Frivola, seqve Deo qvantum pote jungere tentet,
Non adeo mirum est igitur, si adjutus ab isto
Flamine divino, possum hic persistere, & inter
Has cautes duram patienter degere vitam,

Qvanqvam nec victus nec cultus defuit unqvam
Hoc in monte mihi, qvantum natura reqvirit,
Non luxus. Paucis nempe hæc ſervantur ad unguem,
Paucaqve ſufficiunt homini virtutis amanti,
Qvi ſibi qvod ſatis eſt optans, nil cætera curat,
Qvi mavult animi qvam carnis vivere vitam.
Nam vita eſt duplex, (ne tu ſis neſcius,) una
Corporis, hanc ſeqvitur ſtultorum maxima turba,
Vulgus iners, plebs inſipiens, qvæ nil ſapit altum
Egregiumqve ignava colens pro numine ventrem,
Hæc pecudum propria eſt, propria eſt hæc vita ferarum,
Altera vero animi diis convenit atqve deorum
Nobilibus pueris, qvi ob facta ingentia poſſunt
Verè homines, & ſemidei, heroesqve vocari.
Tales conſuevit rarenter gignere tellus,
Tellus injuſtis mater, juſtisqve noverca.
Sed qvoniam video te nunc audire paratum,
Qvædam de hac animi vita non vilia dicam,
Qvæ debent cuicunqve bono intellecta placere
Principio eſſe hominem non ſolo ex corpore conſtat,
Verum etiam ex anima: hæc vitam viventibus affert,
Hæc motum ſenſumqve humana in viſcera mittit,
Hæc tribuit nobis mentem: qva dignius eſt nil,
Per qvam multa homines miranda operantur in orbe,
Sed multi dubitant an ſit mortalis, & una
Cum membris anima hæc pereat, lethine ſit expers
Et maneat ſemper nullum interitura per ævúm.
Nimirum pars deterior, qvæ dedita carni eſt,
Ac vitiis, divum contemptrix, credit & optat

Mor-

Mortalem eſſe animam, ſcelerum qvia digna ſuorũ
Supplicia (heu) metuunt propter qvod tartara nollent
Ulla dari, aut manes uſqvam reperier ullos,
Sic malefactorum cupiunt evadere pœnas.
Altera pars hominum melior, qvi fœda peroſi
Crimina, virtutis pulchro ſtimulantur amore,
Eſſe putant æternam animam nec morte reſolvi,
Utq; putant, vellent, qvòd præmia digna bonorum
Expectant operum, & ſperant poſt fata ſalutem,
Et promiſſa ſibi melioris mnnera vitæ,
Utra igitur potior ſententia? nonne bonorum?
Nimirum in dubiis ea ſemper opinio debet
Præferri, qvæcunqve placet melioribus, & qvam
Egregii ſanctiqve viri plerumqve ſeqvuntur.
Tutius eſt hærere bonis qvàm credere iniqvis.
Non qvot, ſed qvales aliqvid dixere, notandum eſt,
Qvare cum paucis juſtis te credere præſtat,
Morte carere animas, qvàm multorum injuſtorum
Judicio inniti, & nullos concedere manes.
Sed magis ut credas, etiam hac ratione docebo
Eſſe immortales animas, nam ſi Deus id qvod
Eſt melius, ſemper facit (ut ſapientia dictat,
Utqve fateri omnes debent juſtiqve piiqve)
Haud dubiè æternas animas feciſſe putandum eſt.
Qvandoqvidẽ longè eſt melius has vivere ſemper,
Qvam cum carne unà extingui in nihilumq; reverti
Qvod ſic oſtendo: ſi mors animas qvoqve delet,
Si non vita datur nobis niſi corpore in iſto,
Cenſeri injuſtus poterit Deus, atqve vocari
Improbus, innumeros etenim florere videmus
Divitiis opibusqve & honoribus imperiisqve
Ignavos homines, indoctos atqve ſceleſtos,

Qvi peccant impunè, ac læta ſorte fruuntur:
Contrà ſæpe bonos adverſis caſibus, atqve
Paupertate premi, & contemptam ducere vitam.
Aut igitur Deus eſt injuſtus talia qvi fert,
Aut ſua poſt obitum partitur munera cuiqve,
Aut qvid agant homines in terris ſcire recuſat,
Præterea qvæ & qvanta Dei clementia poſſit,
Qvæ bonitas dici, ſi ſolam hanc ipſe dediſſet
Nobis tam exiguam, tam in certo limite vitam;
Cujus dimidium dormitur: cætera curis
Innumeris variisqve laboribus atqve periclis
Exagitata, fugit rapidis velocius undis.
Ergo agite, ô miſeri mortales, grandia templa
Conſtruite, egregiis onerate altaria donis,
Feſtivam ſacris foribus ſuſpendite laurum,
Solennes cantate hymnos, producite pompas,
Thura adolete; Dei nares diſtendite fumis:
Hæc facite, atqve alios etiam ſuper addite honores
Ut vitam hanc vobis tam bellam præbeat, in qva
Vos cruciat nunc frigus iners, nunc fervidus æſtus
Nunc peſtis, nunc dira fames, nunc Martius horror
Nunc morbus, caſusve aliqvis, nunc triſtis egeſtas,
Nunc muſca atqve culex, nunc & cum cimice pulex
Exultate, inqvam, qvòd mille laboribus ævum,
Ducitis; & victum multo ſudore paratis,
Et breve poſt ſpatium mortem toleratis amaram,
In tumulo jacituri, & vermibus eſca futuri
O vitam egregiam, ô pulcherrima dona Deorum!
Natus homo in mundo hoc, inter pecudesq; ferasq;
Inter tot ſtultos & iniqvos vivit, ubi imber,
Nix, glacies, cœnum, pulvis, nox, noxius aër,
Et nebulæ & nubes, ventiqve, atræqve procellæ.

Et dolor, & luctus regnant, ubi deniqve mors eſt.
Hæc felix patria, hæc ſtatio ſedesqve beata,
Propter qvam tantos divis debemus honores;
Propter qvam precibus fas eſt obtundere divos?
Qvòd ſi non aliam vitam qvàm corporis hujus
Tam fragilis tamq; immundi poſt funera habemus
Non video cur tanta Deo præconia laudis,
Cur tantos illi in templis tribuamus honores,
Qvi nos tam miſeros miſera ac in ſede creavit
Tot mala paſſuros, in æternum parituros.
Ergo ne injuſtus Deus & crudelis haberi,
Ac dici merito poſſit, fateare neceſſe eſt,
Non aboleri animas letho, ſed vivere ſemper,
Non ſecus ac divi in cœlo vel in aëre vivunt,
Corporis expertes, necnon ſomniqve cibiqve.
Et fateare opus eſt etiam ſua qvemqve manere
Præmia poſt mortem, aut meritas perſolvere pœnas.
Sed ſatis hæc ratio tibi ſit: namqve iſta malignis
Si dicas, rident: lux nulla illuminat orbos
Tu verò crede omnino, certumqve teneto
(Namqve hoc principium eſt, fundamentumqve ſalutis)
Æternam eſſe animi naturam, & prorſus ab omni
Parcarum imperio exemptam, nil fata timere.
His ita præmiſſis, compertisqve incipiamus
De vita tractare animi: qvæ cœlicolarum
Nos ſimiles reddit, per qvam affectamus Olympum.
Sed qvoniam apparent melius contraria, qvando
In conſpectu ambo adſiſtunt, & juncta cohærent
Proinde operæ pretium eſt de vita corporis antè
Dicere, qvæ in terram nos detrahit æthere ab alto,
Brutorumqve facit ſimiles, contraria menti.

Hanc igitur vitam vivit, qvicunqve ſuperbus,
Sit qvanqvam virtutis inops, venatur honores,
Et laudes captare ſtudet ventoſus inanes,
Tantùm oculis hominum cupiens utcunq; placere:
Et qvi divitiis virtute aut fraude parandis
Invigilat nimis, & totum cor fixit in illis,
Talpa bipes, atta ſemper tellure ſepultus,
Aſpiciens nunqvam ſublato lumine cœlum:
Et qvi luxuriæ atqve gulæ devinctus amore,
Illecebras carnis ſeqvitur, ſpretòqve pudore
In Venerem præceps fertur, ventremqve ſaginat
Demens, ut vermes majore funere paſcat.
Omnes hi turpes, & vero nomine poſſunt
Carnales homines à carnis amore vocari:
Qvorum vita parum à brutorum ſorte recedit.
Contrà qvi humanas laudes, terrenàqve prorſus
Gaudia contemnit, vivens caſtèqve pieqve,
Spiritualis homo fertur: nam ſpiritus ejus
Corpore jam domito, victàqve libidine, liber
Imperat, & ſumma capitis dominatur in arce:
Ergo vita animi eſt, in primis ponere turpi
Fræna voluptati, & ventrem Veneremqve domare,
Subdere ſpiritui carnem: contemnere qvicqvid
Naſcitur in terris, ſoliqve inſiſtere cœlo,
Cœlum optare, & amare omni conamine cœlum:
Illic ſpirituum patria eſt, ſedèsqve bonorum,
Illuc contendunt animæ poſt funera juſtæ:
Illuſtres anima, illuſtri virtute nitentes:
Aeterna in luce, æterna mercede fruentes.
Præcipuè mentem ſtudiis exerceat, illos
Perlegat & libros avidè qvi vel de anima, vel
De diis, de miſera vitæ hujus conditione
Tractant, de morte, aut aliis de rebus honeſtis:

Spiritualis homo & ſapiens his nocte dièqve
Sedulus incumbat ſcriptis, & talia ſæpe
Gaudeat audire atqve loqvi, ſecumqve volutet.
Auctores verò turpes, & turpia vitet
Colloqvia, heu qvantum bona mens corrumpitur iſtis:
Lectio nimirum, eſca animi eſt: qvæ ſi bona prodeſt
Si mala ſit non parva ſolet dare damna legenti,
Non ſecus atqve malus cibus eſt damnoſus edenti:
Qvæ ſervanda licet ſint omnia, nil tamen eſt qvod
Plus hominem à vili carnis ſecernat amore,
Plusqve Deo admoveat, qvàm non rarò meditari
Vitæ hujus miſeram ſortem, qvæ tam brevis, & tot
Plena malis qvuum ſit, mihi mors, non vita videtur,
Immo aliqvid pejus morte. Et qvis non videt? ecqvis
Non adeò ſentit qvantum ſit fellis ubiqve?
Singula ſi excutias, ſincerum comperies nil.
Omnibus infudit rebus natura venenum.
Plurima habent geminas facies: foris alba, ſed intus
Nigra, ſuo fallunt oculos ſpectata colore.
Si tamen eſt qvicqvam in vita hac pulchrumqve bonumqve
Fumi inſtar, nebulæqve fugit: revolubile tempus
Nil ſinit eſſe diu in terris, vana omnia reddit
Atropos, & faſtſts hominum conculcat inanes.
Heu qvàm cuncta abeunt celeri mortalia curſu:
Qvàm fluxa atqve fugax humana eſt gloria, bullæ
Perſimilis, qvæ olim ſumma turgeſcit in unda,
Mox perit, & vento exiguo diſpulſa fatiſcit.
Hora brevis bona cuncta rapit, tunc fabula reſtat:
Hic fuit, hic fecit, pugnavit, vicit, amavit,
Regnavit, gentes domuit, populosqve ſubegit,

Composuit libros. At nunc ubi talia? nusqvam.
Ipse ubi nunc? nusqvam. Qvod nunc? nihil. aut
abiit qvò?
Inventos. Heuheu nugæ, & mera somnia sunt hæc
Qvæcunqꝫ in terris pulchra & miranda videntur.
Qvid mihi cum Fuit, aut Fecit? nempe Est valet
unum
Plus qvam mille Fuit, verùm hoc Est utitur alis,
Transvolat, & secum nostros abducit honores
Hæc igitur meditari, & pertractare freqventer
Qvi solet, ille hujus mundi deponit amorem,
Et facilè exosus terram, suspirat Olympum.
Præsertim si etiam secum bene cogitet idem,
Corporis humani qvàm sit miserabilis, & qvàm
Sordida conditio: fragili qvod carne coactum,
Contextum duris ex ossibus & cute tectum,
Fæcibus immundis plenum est, & sanguine fœdo,
Semper sordescens, nisi semper proluat ipsum
Abstergatqve freqvens cura, instaurando nitorem.
O vas, hospitiumqve animi illætabile, per qvod
Tot morbos patimur, per qvod tot rebus egemus!
O vestis gravis, ô carcer, vivumqve sepulchrum,
Suffocans mentem ac sensum, involvensqꝫ tenebris
Unde hominum generi tanta ignorantia adhæret.
O terra in terram citius reditura, breviqve (tura!
Vermibus aptam escam in tumulo gratamqꝫ da-
Qvàm miser est qvicunqve tui seductus amore,
Veram animi vitam & cœlestia dona relinqvit,
Dum tibi plus æqvo indulgens, tua commoda tan-
Sectatur, curatqꝫ parum justumqve piumqꝫ, (tùm
Nec putat esse aliam qvàm hoc vili in corpore vitam
Demens atqve sui oblitus, patriæqve prioris:
Unde has in tenebras & tristia regna recessit,

Ut carne incluſus miſera miſer efficeretur.
Omnis enim qvi corporeo ſtat carcere clauſus
Spiritus, & membris terrenis conſociatur,
Eſt miſer haud dubiè: donec ſolvatur ab illa
Compede, & æthereas redeat jam liber ad oras:
Ni fortè impediat vitiorum pondus euntem,
Et teneat preſſum in terris aut aëre in imo.
Nil etenim immundum patitur puriſſimus æther,
Nec pravi aut ſtulti cœleſtia limina tangunt.
Hæc dum vir ſanctus loqveretur, finierat ſol
Penè diem laſſo jam curſu, & juxta aderat nox,
Paulatim inficiens atro velamine mundum.
Diſcedo, & Romam verſus veſtigia duco.
Dumqve iter inceptum perago, jam Cynthia pleno
Orbe micans, claram reddebat lumine noctem.
Ibam igitur ſolus, meditans audita: ſed ecce
Tres comites hæſere mihi, qvos fortè repertos
Affatus blandè, qvo vellent ire rogavi.
Romam, dixere interea me conſpicit unus,
Nomine me appellans: unde is nunc, inqvit, ab illo
Reſpondi ſapiente, manet qvi in vertice ſummo
Rupis Apollineæ, ſubriſit protinus ille,
Atqve ait, O demens, reperiri qvi ſapientem
Poſſe putas qvemqvam in terris ſapere ille videtur
Qvi minus eſt aliis ſtultus, licet inſipiens ſit.
Convenit haud dubiè ſolis ſapientia divis:
Qvorũ de numero ſumus hic tres, namq; ego dicor
Sarracilus, verùm hic Sathiel, hic Jana vocatur.
Qvamvis humanam videamur habere figuram,
Dii ſumus, & lunæ contermina regna tenemus.
Namqve illic habitat divûm ingens turba minorum
Eſt qvibus imperium telluris & æqvoris alti.
Talibus auditis ſtupui, cœpiqve timere:

Me

Me tamen audacem oſtendens, rectoqve timore,
Cur Romam peterent qvæſivi, tunc ait ille
Eſt ſocius nobis illic qvi dicitur Ammon,
Hunc ſibi ſervitio adſtrictum, magicaqve coactum
Arte tenet juvenis qvidam, cui Narnia tellus
Eſt patria, Vrſiniqve colit qvi præſulis, aulam.
O qvanta eſt hominum generi conceſſa poteſtas:
Coguntur divi, vobis hinc ſcire licebit
Divinàs animas veſtras, & morte carere.
Nam ſi nil veſtri ſupereſſet, ſi moreretur
Veſtra anima, ut corpus moritur, qvid juris haberet
In ſuperos tam vile animal, tam frivola imago?
Si foret in vobis nil ſanctum, qvomodo divi
Tanti hominem facere, aut homini ſuccumbere poſſent?
Ipſe etiam qvandoqve fui ſervire coactus
Germano cuidam, Cryſtalli in corpore clauſus:
Sed me barbatus tandem fraterculus illis
Exemit vinclis, & fracto carcere fugi.
Romam igitur petimus cupientes ſolvere duro
Servitio ſocium, ſi qva eſt via: deinde ut ad Orcum
Romanos qvoſdam proceres hac nocte trahamus.
Hæc dicente illo, flavit levis aura repentè,
Tunc Sathiel ait, O ſocii, jam noſter ab urbe
Remiſſes remeat: præcedens indicat aura.
Non vanus fuit hic ſermo: namqve ilicet illic
Egregius juvenis Remiſſes aſtitit, omnes
Adveniſſe illum gaudent, lætiqve ſalutant,
Atqve rogant qvidnam Romana ageretur in urbe
Cuncti luxuriæ atqve gulæ, furtisqve dolisqve
Certatim incumbunt, noſterq; eſt ſexus uterqve,
Reſpondit: ſed nunc ſummus parat arma ſacerdos

Clemens Martinum cupiens abolere Lutherum,
Atqve ideo Hiſpanas retinet nutritqve cohortes:
Non diſceptando, aut ſubtilibus argumentis
Vincere, ſed ferro mavult ſua jura tueri:
Concilium valeat, valeant commenta Lutheri
Pontifices nunc bella juvant, ſunt cœtera nugæ:
Nec præcepta patrum, nec Chriſti dogmata curant.
Iactant ſe dominos rerum, ſibi cuncta licere.
Cui vis eſt, jus non metuit, jus obruitur vi.
Sed nos hinc ſocii lucrum ſperamus, & inter
Tot cædes, multorum animas ad averna feremus.
Sic ait: & mox inter ſe nonnulla locuti,
Decedunt, & me ſolum triſtèmqve relinqvunt
Namqve ubi Serracilus nullum dixit reperiri
In terris ſapientem, extemplò pectora triſtis
Invaſit cura, & cœpi ſic volvere mecum:
Ergo neqvicqvam petitur ſapientia nobis?
Laudatur fruſtra, fruſtra ſperatur, & ipſis
Cœlicolis tantùm conceditur? ergo neceſſe eſt
Hac miſera in vita mortales deſipere & omnes?
Ridiculosqve eſſe, & ſpectacula tradere divis?
O humanum genus infelix, ô effræna parentum
Luxuria, & natos gignendi infanda libido!
Qvid tandèm facitis? ſtultos miſerosqve creatis,
Mas puer eſt natus: læti celebrate choreas,
Fundite vina, epulas feſtivis addite menſis:
Sed mox ille puer fiet ſtultusqve miſerqve
Aut cito pallentes moriens migrabit ad umbras.
O mens cœca hominum, & venturæ neſcia ſortis!
Mortales miſeri lætantur ſæpe dolendis.
Hæc igitur mecum meditabar, triſtitiàqve
Plenus paulatim hoſpitium reqvièmqve petebam:
Namqꝫ oculos jam ſomnus iners & crura gravabat.

Hæc ſint de ſapiente ſatis. Deponere feſſam
Muſa chelym par eſt, & raucis parcere chordis.
Interea mundi auctorum dominùmqve precemur,
Ut nos clementer permittat, qvæ duo reſtant
Sidera Zodiaci cantando, abſolvere noſtri.
Sunt majora etenim dictis dicenda, timetqve
Mens mea tam tenuis myſteria tanta referre.
Naturam Hydrochoos noſter ſcrutabitur omnem.
At labor extremus divùm penetralia pandet.

LIBER UNDECIMUS.

Synopſis LIBRI XI.

Hic liber præcepta aſtronomica tradit. Omnes Mundi circulos & ordinem motumqve planetarum, ſecundum ſyſtema Ptolomaicum recenſens. Deinde non ſolum Zodiaci, ſed & omnia cœli ſigna eorumqve ſtellas exacte enumerat, ſingulorumqve ortus & occaſus deſignat. *His abſolutis de materia & forma diſputat. Æther ſummus adamante durior eſt. Eclipſis à Luna interpoſita oritur. Cœlum rotando ſonum non edit. Aſtra mutant & regunt omnia, & cum ſole moventur.* Pl*anetæ qvare non ſcintillant.* C*œlum primum mobile: atqve eodem modo, qvo illud omnes orbes immutabili ordine à creatore poſito, indeſinenter circumrotantur. Formæ dant eſſe rebus. Æther ſuos cives ſine cibo aut potu viventes habet. Unde Lunæ maculæ. An mat*e*ria ſit æterna;* P*hyſice affirmat Theologice negat. Tandem de Elementis & meteoris, ſub finem hujus libri, ſecundum philoſophiam breviter agit, ſuamqve ſententiam exponit.*

AQVARIUS.

NATURÆ omniparentis amor, cauſasqve videndi
Occultas rerum nobis innata cupido
Aonios iterum fontes haurire, jugisqve
Parnaſſi umbriferis iterum conſiſtere ſuadet.
Muſa redi, citharamqve refer: nunc divite vena,
Nunc opus ingenio eſt, & doctæ munere vocis.
Non levia hic tractanda. Libet ſpecularier omnem
Naturæ faciem, totumqve evolvere mundum.
Principio qvicqvid fuit, aut eſt, aut erit unqvam,
Dicitur ens. qvippe hoc complectitur omnia nomen.
Sed rerum, qvaſcunqve Dei ſapientia finxit,
Qvædam funguntur vita ſine corpore: qvædam
Aut ſunt expertes vitæ, aut in corpore vivunt.
De primis liber iſte nihil, ſed proximus olim
Tractabit: nunc de reliqvis mea Muſa canamus
Mundanæ molis loca ſumma, atqve extima cœlum
Immenſis ambit ſpatiis, motumqve perenni
Circuiens intra ſeſe facta omnia claudit.
Qvinqꝫ ſecant ipſum Zonæ: ſed qvælibet harum
Eſt habitata ſuis nihilo prohibente colonis.
Nam neqve diis frigus, neqve torrens officit aſtus.
Talia conveniunt terris. ſacer æther ab omni
Semper abeſt glacie: nulloqve incenditur igni:
Qvi licet aſſiduè circum volvatur, ibidem
Permanet, & nunqvam prima de ſede recedit.
Namqve duos inter ſtabiles fixosqve locatus
Divina ratione polos. retinetur ab illis:
Qvorum alter nobis apparet ſemper, & ambas
Aſpicit, oceanoqve procul circumvehit arctos

Alter ſub terris adverſa in parte moratur,
Antipodumqve oculis nocturna luce videtur.
Hanc verò æthercam molem dicuntur ab ortu
Occaſum verſus parili diſtinguere tractu
Tot cycli qvot ſunt Zonæ, qvi proximus Arcto eſt
Arcticus eſt dictus: poſt hunc eſt circulus ille
Qvi medium Cancrum ſecat, & decedere ſolem
Paulatim à nobis cogit, retroqve reverti.
Hunc alius ſeqvitur, medium qvi dividit orbem,
Atqve dies nitidos obſcuris noctibus æqvat.
Non procul hinc alius medium ſcindit Capricornum:
Ultra qvem prodire neqvit, rurſusqve redire
Incipit ad noſtras paulatim Cynthius oras.
Poſtremus verò cyclus. qvi proximus auſtro eſt,
Ut polus oppoſitus noſtro, ſic ipſe vocatur,
Ultra hæc ſegmenta obliqvus qvoqve circulus alto
Signantur cœlo, perqvem pulcherrimus it Sol,
Biſſenis complens obeuntem menſibus annum.
Lacteus eſt etiam cyclus, qvi Tyndaridarum
Genua ſecat, caudàmq; Nepæ, tropicos qvoq; binos,
Obliqvàmqve viam ſolis, medium ſimul arcum
Arcitenentis, item Centauri crura, Aqvilàmqve,
Necnon Aurigam, Cygnumqve, & Perſea tangit
Suntqve paralleli cycli, ſic nomine dicunt
Hos Græci: motùmqve ſuo Sol efficit unum,
Qvàqve die occaſum repetens, ortùmq; relinqvens
In ſuper eſſe duos Coluros dicitur: alter
Solſtitia oſtendens, Cancrum ſecat & Capricornum,
Percurrens utrùmqve, polum; ſed dividit alter
Phryxœam pecudum & Chelas: hic tempora monſtrat
Sunt qvibus æqvales & luci & noctibus oræ.

Ultra

Ultra hos sunt cycli multi variiqve secantes.
Hinc atqve hinc utrumqve polum: mediæqve diei
Nomen habent, nostrumqve caput super ingrediuntur.
Circulus est etiam qvidam, qvi fertur Horizon:
Dividit hic sphæram mediam, nostrumqve videre
Terminat: unde vocant hoc illum nomine Graji.
Præterea in multos cœlum distinguitur orbes.
Suntqve novem: qvorum summus, qvod mobile primum
Dicitur, extremis volvens decedit ab Indis,
Hispanos Maurosqve petens, spatioqve diurno
Complent iter, nec non rapidus cœlestia secum
Corpora cunct atrahit, nullo spectabilis astro.
At reliqvi oppositis volvuntur moribus orbes,
Et Gangem versus curru à Gadibus. Horum
Maximus innumeris stellis est lucidus, atqve
Curriculo annorum centum vix perficit unum
Ipse gradum. Juxta hunc Saturni sphæra locatur
Inferius, triginta annis hæc tota movetur.
Juppiter huic substat, totusqve revolvitur annis
Bis sex. Hunc seqvitur Mavors, annisqꝫ duobus
Vertitur in gyrum. Post hunc Sol ipse trecentis
Sexaginta (velut dicunt) & qvinqve diebus.
Adde his sex horas, totum petransit olympum.
Post solem inferius Veneris rota volvitur, & se
Circumfert, qvam sol septemqve decemqve diebus
Ocyus. Ast huic Mercurii subvolvitur astrum:
Qvod Venerem superat cursu, citiusqve movetur
Qvam Venus ipsa novem (si vera est fama) diebus.
Ultimus est orbis Lunæ, spatioqve dierum
Viginti atqve novem, nec non bis qvatuor horis
Finit iter, remeatqve illuc prius unde recessit.

Sidera ſunt ſeptem qvæ Græci errantia dicunt
Voce ſua, qvorum ſummus Saturnus habere
Pro domibus fertur puerum Jovis & Capricornum.
Juppiter ipſe domos etiam tenet æthere binas,
Piſces atqve arcu pugnantem: Scorpius autem,
Phrynæusqve Aries, ſtolidi ſunt tecta Gradivi:
Dat propriam ſedem Nemees fera bellua Soli:
In Libra & Tauro mollis Cytharæa qvieſcit:
Mercurius Geminis, & pulchra Virgine gaudet:
Carcinus hoſpitium præbet tibi Luna benignum,
Dicere de ſignis cœleſtibus aggrediamur,
Zodiaco qva ſol gradiens totum efficit annum,
Signa qvidem duodena manent: Borealia ſunt ſex,
Adverſo totidem ſumpſerunt nomen ab Auſtro.
A capite auratæ pecudis, finem usqve puellæ
Erigones, ſeptem dicuntur ſigna trionis.
Aſt à principio Libræ, finem usqve duorum
De grege Neptuni, qvodcunqve eſt, ſpectat ad auſtrum.
Nomina ſignorum jam nunc mea carmina pandent:
Sunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Nepa, Arcitenens, Capricornusqve, Hydrochoosqve,
Et duo cœleſtia radiantes lumine piſces.
Septima qvæq; ſibi opponuntur: qvum venit illud,
Conditur hoc. Aries ad nos qvum ſurgit ab ortu,
Libra cadit: Tauro ſic Scorpius Europæo
Objicitur: naſcente illo, hic deſcendit in undas
A Cancri capite ad Centauri extrema, vocantur
Directa: à prima Aegocerotis parte gemellos
Usqve ad Tyndaridas, obliqvo limite pendent.
Triginta gradibus longum, latum duodenis
Qvod-

Qvodlibet est signum; terrestria sunt, Capricornus
Taurus & Erigone: sunt aëris hæc tria, Libra,
Hydrochoos, Gemini, naturam servat aqvarum,
Piscibus & Cancro similis Nepa: qvæ tria restant,
Ignea sunt, Aries, Chiron, Leo: mascula sunt hæc
Cum tribus aëreis, fortunata vocantur.
Cætera femineo dicuntur nomine, suntqve
Infortunata, ut perhibent qvi sidera norunt.
Mobilia hæc, Aries, Cancer, Libra, & Capricornus
Fixa, Leo, Taurus, Nepa cum Canymede vocantur.
Sunt Gemini, Virgo, Chiron, communia, Piscesqve:
Ultra hæc, triginta sunt & tria signa beato
Fixa polo, qvorum boreali in parte locantur
Viginti, at pluvius sibi cætera vendicat auster.
Hæc sunt qvæ spectant ad septem signa triones:
Binæ Vrsæ, qvarum est Helice majoribus astris
Splendidior, Cynosura minor Phœnicibus est dux,
In qvas medius serpit Draco fluminis instar.
Hic micat & Cepheus, hic Cassiopeia, Coronæ
Proxima Gnosiacæ. Niveo vicinus Olori est
Engonasis, dulcemqve Lyram miratur & audit.
Necnon Arthophylax monstrat sua sidera ibidem.
Perseus hac etiam cœli in regione locatur,
Ora Medusæo gestans rorantia tabo.
Hoc eodem cœlo nitet Auriga Anguitenensqve.
Illius & serpens, cumqve hoc Serpente Sagitta.
Adde Aqvilam, æthereoqve mari Delphina natantem,
Hic & eqvus splendet, qvi Pegasus appellatur.
Andromede seqvitur: postremum Delta vocatur:
Signa tria atq; decem adverso retinentur ab austro:
Cetus Persæi vix tandem falce peremptus.
Hac etiam parte armatum Oriona videbis,

Multiplicemq́ vadis Nilum, Leporemq; fugacem,
Hunc Canis haud unus ſeqvitur, majorq́ minorq́
Inter & auſtrales Argo micat inclyta flammas,
Hic Aram, magnumqve potes Cratera videre
Necnon phœbeum fulgenti ſidere Corvum,
Centaurumqve trucem, domitamq́ laboribus Hydram
Herculeis, peſtem Lærnæ, mirabile monſtrum.
Hac eadem Piſcis qvidam regione videtur.
Qvæ ſint ſigna poli patefeci verſibus. At nunc
Singula qvot ſtellas habeant qvoq; verſibus edam:
Aſtra Helice ſeptena tenet, qvæ dicitur urſa
Major, qvòd cœlo majori lumine fulget.
At Cynoſura minor fertur, qvòd luce minori
Apparet: qvamvis viginti unamqve favillam
Corpore contineat. vigilem qvindena Draconem
Sidera conficiunt, geminas qvi dividit arctos.
Cepheus ipſe decem atqve novem complectitur aſtra.
Caſſiopeia decem atqve tribus ſtat lucida flammis.
Ipſa novem ſtellis ſolita eſt ſplendere Corona.
Dant tria dena modum Ledæo ſidera Cygno.
Ignibus Engonaſis lucet bis qvinqve novemqve.
Qvattuor atqve decem deſignant aſtra Bootem
In cujus Zona Arcturus ſtans clarius ardet.
Ipſe decem ſeptemqve faces tenet æthere Perſeus:
Heniochus ſeptem: aſt, humero qvæ clara ſiniſtro
Fertur Capra duas alias qvas læva manus fert (eſt
Hædi dicuntur, nautis ſæpe anxius horror.
Septenis denisqve nitet flammis Ophiuchus
Ipſius ac Serpens viginti eſt clara duabus.
Eſt Lyra luminibus fulgens Orphea novenis
Qvattuor æthersam deſignant aſtra Sagittam,
Qvadrupliciqve nitet raptor Ganymedius igne.

Delphin

Delphin ipse polo fulget bis qvinqve favillis.
Octo decemqve micat nocturnis Pegasus astris.
Ignibus Andromede bis denis ardet Olympo,
Sed tria Deltoton duntaxat sidera fingunt
Stellarum, qvas Zodiaci dicuntur habere
Stgna, dehinc numerum aggrediar comprendere versu.
Est Aries primus: tenet hic astra octo decemqve.
Taurus habet stellas viginti, unamqve: sed harum
Septem, qvæ ipsius postrema in parte renident,
Virgiliæ, nec non Atlantiades appellantur.
Sunt totidem in capite, atqꝫ Hyades dicuntur ab imbri,
Tyndaridæ fratres denis octoqve favillis
Splendescunt: alter denas, alter tenet octo.
Bisqve novem flammis cœlestis Carcinus ardet:
Binæ insunt dorso, qvæ Asini & præsepe vacantur.
At Leo bisdenas stellas retinet minus una.
Virgo tenens spicam micat astris octo decemqve
Chelæ ignes utrinqve duos, libramqve figurant.
Qvindenas reliqvo flam̄as Nepa corpore monstrat:
Qvindenis etiam facibus splendere videtur
Arcitenens: qvandamqꝫ pedes tenet ante coronam,
Septenis qvæ sideribus constare putatur.
Viginti Ægoceros stellis nitet atqve duabus.
Hiacus puer est bis septem lucidus astris.
Octo novemqve faces piscis tenet alter: at alter
Huic junctus bis sex splendescit in æthere tædis.
Nunc qvot habent stellas australia signa docebo:
Qvanvis sint procul, atqve oculis malè cognita nostris.
Lumina terribilis triadena habet æthere Pristis:
Sunt totidem Nilo: Leporem sex astra perurunt
Sideribus septem atqve decem præfulget Orion:

Octo atqve undenis incendit Sirius orbem
Ignibus: at Procyon triplici micat æthere flamma.
Viginti atqve tribus decorata est Argo favillis.
Unam plus Chiron retinet: sed Victima, gestat
Qvam manibus, resupina, decemq; unamq; recepit:
Luminibus verè speciosa est Ara qvaternis.
Sex & viginti facibus spectabilis Hydra est,
Longa trium spatio signorum, corpore Cancrum
Occupat, Erigonemq; simul, tumidumq; Leonem.
Septem astris Corvus, Crater spectabilis octo est:
Bisseno at notius decoratur lumine piscis.
Occasus nunc signorum dicamus & ortus:
Signorum est ortus triplex, occasus eorum
Est etiam triplex. Namqve ortus Cosmicus, atq;
Occasus fertur qvum tempore matutino
Sole oriente, aliqvod signum qvoqve surgit eoa
De regione simul, vel qvum mane occidit undis.
Dicitur ac Chronicus, qvoties surgitve caditve
Signum aliqvod, qvum primum alto se gurgite condens
Jam patitur stellas alias splendescere Titan.
Heliacus verò est ortus, qvum sole propinqvo
Jampridem occultum signum, postqvam ille recessit,
Ingrediens aliud, dosse incipit orbe videri.
Occasus contrà Heliacus tunc dicitur esse,
Qvando aliqvod signum per qvod tunc ingreditur Sol
Obtenebrat splendore suo, prohibetqve videri.
Nunc qvo qvæq; modo exoriantur signa, cadantq;
Versibus expediam: tribuant modò carmina nobis
Pegasides, vatemqve suum non spernat Apollo.
Qvando Aries oritur, consurgit pars qvoqve læva
Andromedæ, perseiqve caput, media tenus alvo.
Opposita tunc parte poli pars occidit Aræ:

Averso

A verſo Taurus per cœlum corpore fertur:
Ipſo aſcendente, aſcendit totus qvoqve Perſeus.
Heniochi conſurgit item pars maxima, necnon
Priſtis cauda, etiam penitus tunc occidit Ara.
Ipſe autem Arctophylax tunc primum abſconditur undis
Cum Geminis totus Cetus, partesqve priores
Eridani ſurgunt, cumqve his armatus Orion.
Anguitenens utrumqꝫ pedem tunc æqvore mergit.
Carcinus exoriens partem apparere Coronæ
Dimidiam vetat, & caudam Ceti, notiumqve
Piſcem, atqve Engonaſis caput, alvum dimidiamqꝫ
Ejuſdem: à genibus ſcapulis tenus Anguitenentem,
Ipſiusqve Anguem, excepta cervice: Booten
Totum penè, oritur ſed contrà Orionis uſqve
Ad zonam corpus, toto cum flumine Nili.
Hæc cum magnamino naſcuntur ſigna Leone.
Tota aqvila atqve Lepus, Procyon qvoqve primaqve crura
Majoris Canis, exurgit caput inſuper Hydræ.
At contra Arctophylax totus, totusqve Ophiuchus
Cum capite & cervice ſui qvem continet Anguis
Qvæqve ſuperfuerat nitidæ pars illa Coronæ.
Engonaſis ſimul ipſe, genu tamen ac pede lævo
Exceptis. Tunc heſperias merguntur in undas.
Virginis exortu totus Canis Hydraqve ſurgit
Uſqve ad Cratera, apparet qvoqve Theſſale puppis
Qvatenus erecto dependent carbaſa malo.
Oppoſita ſed parte latent hæc ſidera. Delphin,
Totus Olor, cauda excepta: ſimul ipſa ſagitta,
Atqve Chelys, Nilqve prior pars. Pegaſus autem
Cum capite apſcondit collum, pars cætera fulget:

Tota Argo cum Libra oritur, totusqve Bootes.
Extremam præter caudam tota Hydra videtur,
Engonaſis dextrumq; genu, dextram qvoq; ſuram.
Tunc & Centauri caudam ſplendere videbis,
Tunc & dimidiam poteris ſpectare Coronam:
Corpus eqvi aligeri reliqvum, poſtremaqve Cygni
Celantur, necnon cervicem Cetus adusqve
Deſcendit totus: tunc & caput occulit undis
Andromedæ: tunc & deſcendere Cephea cernes,
Ipſius Andromedæ patrem, manibusq; humerisq;
Et capite extremas ponti fluitantis in undas.
Scorpius exoriens hæc ſecum ſidera ducit,
Caudam Hydræ, Chironis eqvum, reliqvamqve Coronam:
Qvamqve manus geſtat Chiron tunc Hoſtia ſurgit:
Surgit item caput Anguis, item caput Anguitenentis.
Andromedæ reliqvum corpus tunc occidit, atqve
Cepheus à capite ad Zonam, flexuraqve duplex
Eridani: reſupina cadit qvoqve Caſſiopeia.
Tunc etiam abſcondi Canis incipit atqve Orion:
Arcitenens qvum oritur, jubet apparere Ophtuchum,
Ipſiusqve Anguem totum, caput atqve ſiniſtram
Engonaſis, totamqve Lyram, pectusq; caputq;
Æthiopum regis Cephei: tunc totus Orion,
Et Lepus, & major Canis occidit, Heniochusqve,
Exceptis capite ac pedibus: tunc Perſeus unà
Tendit in occaſum totus, dextro pede necnon
Crure manet. Puppi excepta tota occidit Argo.
Ægoceros qvum ſurgit, Olor, ſimul atqve Sagitta,
Ara qvoq; atq; Aqvila aſcendunt, ſed cætera puppis
Deſcendit, Procyonqve mari ſua ſidera condit.

It

It qvoq; ſub terras toto tunc corpore Perſeus,
Sidera qvum pulchri apparent Ganymedis ab
Prima Meduſæi conſurgunt membra caballi. (ortu,
Tunc contrà caput & cervix deſcendit Echidnæ,
Occultatur item poſtremo corpore Chiron.
Qvum gemini ſuperum tolluntur in æthera Piſces,
Andromedæ dextrum corpus qvoqve ſurgit, & ille
Qvi notius fertur Piſcis: tunc corpore toto
Hydra & Centaurus manes rapiuntur ad imos.
Hæc de ortu atqve obitu ſignorum dicta putamus
Eſſe ſatis, nunc ad reliqva incunctanter eamus.
Sed prius Uranien libet huc ad noſtra vocare
Carmina, ut auxilium tribuat, ſecretaqve pandat.
Uranie, cui nota alti penetralia cœli,
Qvæ ſuperum ſedes gemmataq; templa frenqventas:
Uranie formoſa adſis, arcanaqve divum
Tecta aperi, vatemqve juva tua regna canentem:
Æthereos da mente lares, animoqve tueri
Mœnia ſtelliferi circumlabentia mundi.
Et primum mihi Diva aperi, num corpore duro
Ac ſolido conſtet cœlum, an fluxo tenuiqve,
Non ſecus atqve aër facili qvem ſcindimus ictu.
Poſt hoc, me nonnulla etiam qværenda docebis.
Sunt duo naturæ primordia prima, vocantur.
Materia & forma: ex his corpora cuncta creantur,
Ex his eſt tellus, unda, aër, ignis, & æther.
Unde errant, qvi materiam cœleſtibus ullam
Corporibus non eſſe putant, contraria in illis
Qvippe forent, & ab his corrupta aliqvando peri-
Sic aiunt: verùm hæc ratio (me judice) peccat, (rent
Nam neqve materiæ culpa eſt, ſi corpora ſolvit
Longa dies: neqve corrumpunt contraria per ſe,
Si æqvales habeant vires, niſi fortius unum

Sit reliqvo qvia qvum vis æqva eſt atqve poteſtas,
Tunc fit par pugna, & nulli victoria cedit.
Ergo Deus cupiens æternum condere cœlum,
Optima materiæ primæ puriſſima legit,
Temperiemq; illis talem addidit, ut nihil unqvam,
Se lædant, ſemperqve habeant contraria pacem:
Sic cœlum æternum eſt, ſic nullo abſumitur ævo.
Sed qvoniam qvæ dura magis, diuturna magis ſunt,
Lædunturq; minus, proinde eſt duriſſimus æther
Plus adamante, adeò ut ferrum contemnat & ignem,
Ubiqve omnem, præter Domini, â qvo conditus ipſe eſt.
Eſt alia id monſtrans ratio: nam mobile primum
Intra ſe poſitas ſphæras rapit, ac violenter
Occaſum verſus ſecum trahit, atqve diurno
Motu (obſtent qvanvis) ſpatia in contraria verſat:
Qvod fieri neqveat, ſolido niſi corpore conſtent.
Adde huc qvòd lunæ pars illa ſimillima cœlo eſt,
Qvam ſol non ſpectat, fraternaq; lumina tangunt.
Sic etiam ſtellæ, manifeſta in luce diei
Conſimilem cœlo creduntur habere colorem.
Luna tamen ſtellæqve ipſæ ſunt corpora dura,
Sunt & opaca. Hoc eclipſis declarat apertè:
Nam radios Phœbi Luna interjecta repellit,
Nec ſinit in terras claram deſcendere lucem.
Cur non durities eadem tribuatur Olympo?
Nempe aliter nunqvam ſidera fixa teneret:
Sed paſſim errarent, nec certa in ſede manerent,
Non tamen eſt cœli, ut ſtellarum, corpus opacum:
In terris etenim poſiti ſumma aſtra videmus,
Et penetrat noſter ſuprema ad ſidera viſus.
Qvum verò ſint (ut dixi) duriſſima cœli
Corpora, ſintqve eadem puriſſima, forſitan illis

Eſt

Eſt etiam ſonus: & qvum ſe tangantqve rotentqve,
Concentum faciunt aliqvem, cœleſtibus aptum,
Ut qvidam ſcripſere olim doctiqve probiqve:
Hunc tu Muſa etiam nodum mihi ſolve roganti,
Dura & plura licet ſacri ſint corpora cœli,
Perviaqve humanis oculis, tamen illa ſonorem
Efficiunt nullum: neqve enim pulſantur ab ullo,
Nec ſi pulſentur reſonant, craſſiſſima qvum ſint,
Cumqve illic aër nullus ſit, qvo ſine fruſtra
Speratur ſonus, atqve ideo ſine murmure currunt.
Præterea ſphæræbis qvatuor inferiores,
Auroram verſus omnes vertuntur eodem
Progreſſu: nec ſe collidunt concutiuntqve
Occurrendo ſibi, ſed certa lege modoqve
Una eademqve via leni vertigine pergunt,
Et choreæ in morem placidi taciteqve feruntur:
Mobile duntaxat primùm adverſatur eundo,
Orbibus (ut dixi) reliqvis: tamen haud ſtrepit unqvam
Nilqve ſonat prorſus: qvippe illic deficit aër,
Qvippe ſuperficies multo eſt leviſſima ſphæris:
Unde fluunt celeres, nullo impediente rigore,
Et ſua contactu molli confinia lambunt:
Propter qvod motum faciunt ſine voce ſilentem.
Non igitur rectè veteres ſenſere, putantes
Sphærarum motu harmoniam conflarier, at non
Sentiri: qvoniam humanas excelleret aures,
Ceu Nili non auditur, qvæ decidit altis
Rupibus unda prope: at longè fragor editur ingens
Nugantur certè, & ratio hæc eſt prorſus inanis,
Nam ſi nemo unqvam audivit, cur fingere debent
In cœlo eſſe ſonum? turpe eſt ea dicere qvæ non
Oſtendi poſſunt, qvæ poſſunt jure negari.

Non nova ſunt fingenda, niſi hæc vera eſſe probentur:
Nullum verba fidem amota ratione merentur.
Sed nunqvid cœlum eſt, ut fertur, (Muſa) rotundum?
Sphærica nimirum perfectior eſſe figura
Cenſetur cunctis aliis, qvòd non habet in ſe
Principium finemqve, capax qvòd ſit magis, atqve
Simplex & formoſa magis, magis apta moveri:
Præſertim circa medium, ceu vertitur æther
Circa ipſam terram, in medio qvæ condita mundo est.
Convenit hæc igitur cœlo tam digna figura,
Convenit hæc eadem Soli, Lunæ, omnibus aſtris,
Qvanqvam aliter pictorum audax inſcitia fingit.
Stellæ autem ſunt ne (ut fertur) pars denſior orbis?
Non ita: qvippè ſuam ſortita eſt qvælibet harum
Diverſam à cœlo ſpeciem, diſcrimine magno:
Ipſæ etiam inter ſe diſtant: ceu ſorbus ab ulmo,
Ceu pyrus à ceraſo differt, fœtu atqve figura.
Indicat id color haud unus, diverſaqve earum
Virtus & ſplendor: ſtellæ eſt ſua cuiqve poteſtas:
Qvandoqvidem natura etiam ſua cuiqꝫ tributa eſt.
Cœlum ergo eſt ſedes tantùm opportuna, locusqve
Stellarum, non materia aut ſubſtantia earum.
Qvid virtutis habet cœlum? eſt vis omnis in aſtris:
Aſtra regunt orbem terrarum, atqꝫ omnia mutant:
Aſtra creant cuncta in terris, & cuncta gubernant.
Hoc docet aſtronomus, communis opinio fert hoc.
Qvare non ſolum raro denſoqve putandum eſt
Diſtingui à ſtellis cœlum, diverſa ſed ipſis
Natura eſt etiam, & diſpar faciesqve vigorqve,
Qvanta etiam ſint aſtra, & num ſine fine rotentur,
Qvo ſunt fixa loco, ut viſum eſt aliqvando Platoni:
An ſint deſerta, an qviſqvam verſetur in illis,
Muſa velim ſcire: unde precor mihi ſingula pande.

Non

Non ſunt aſtra qvidem magna æqvè. Namq; minora
Plurima ſunt numero, ut poſſit comprendere ne-
Sunt aliqvot majora etiam, ſed pauca: ſereno (mo,
Qvæ paſſim cœlo veneranda luce refulgent,
Ex qvibus aſtronomi varias fecerè figuras,
Et pinxêre amplum diverſis æthera ſignis:
Ex his ergo aſtris majoribus (ut perhibent, qvi
Aſtra ſciunt, utqve eclipſis phœbia monſtrat:
In qua Luna pater qvanto ſit corpore, fratris
Dum ſubjecta ſui ſpecioſum lumen opacat)
Qvædam ſunt tanta, ut totam terræqve marisqve
Excedant molem, ac ſpatio majore niteſcant:
Qvanvis parva adeò videantur, propterea qvòd
Tam longo diſtant à nobis intervallo. (tur,
Qvippe aliqvid qvanto eſt longinqvius, eſſe vide-
Tanto etiam minus, & ſpectantum lumina fallit
Stellæ autem fixæ (veluti Plato maximus inqvit)
Qvæqve ſuum circa centrum volvuntur ibidem
Semper: & hæc ratio eſt cur ſcintillare videntur:
Non ea qvam fingunt qvidā, qvia longius abſunt,
Proinde illas tremulum nobis oſtendere lumen.
Nimirum hæc ratio vana & puerilis habenda eſt.
Non etenim qvicqvam ſcintillat, qvòd procul abſit
A noſtro viſu: minus, atqve obſcurius illud
Sed tunc apparet, nec ſcintillatio motu
Ulla carere poteſt, qvare fixa aſtra moventur,
Cum Sole unâ, illo motu qvem diximus ante.
At non Saturnus talem, nec Juppiter, & Mars
Efficiunt motum, nec Lunæ Mercuriive
Aut Veneris ſidus: verùm hæc gaudent epicyclis:
Cur non ſcintillat Saturnus, Juppiter, & Mars,
Ut Sol? qvum tamen à nobis longè altius abſint,
Nec magno à ſtellis fixis diſcrimine diſtent?

Nimi-

Nimirum, qvoniam non ſic volvuntur uti Sol,
Sed ſua permittunt epicyclis corpora ferri.
Fortè aliqvis ſolem non ſcintillare putabit.
At ſi hunc perſpiciet ſummo qvum mane reſurgit,
Vel qvum deſcendit brumali tempore in undas,
Qvando acies illum melius tolerare valebit.
Tunc circumvolvi, tunc ſcintillare videbit.
Nec qviſqvam hoc adeò magnum ac mirabile dicat,
Singula ſi tali volvuntur ſidera motu:
Nonne magis mirum eſt, tam im̃enſi corpora cœli,
Tam celeri ſemper ferri vertigine, ut omnes
Prævertant volucres, ventosqve & fulmina vincant
Unde nota: Ille pater rerum, mundiqve creator,
Omnia qvæ fecit, diſtinxit in hæc duo, motum
Atqve qvietem, atqvi in terris, centroq; locata eſt
Ipſa qvies proprié, poſſedit cætera motus.
Unda fluit, ſemperqve aër agitatur & ignis,
Præcipuè tamen in cœlo eſt vis maxima motus:
Et qvo qvæqve magis ſphæra eſt ſublimis, in illa
Fortior eſt motus, mundumqve rapacius ambit.
Qvare illud cœlum, qvod primum mobile fertur,
Maximũ habet motum: ſed motus maximus ille eſt
Tempore qvi minimo ſpatia & loca maxima tranſit
Ergo nictu oculi totúm percurreret orbem,
Ni obſtarent illi ſphæræ, qvas continet in ſe,
Frænantes curſum illius, ne protinus omnem
Volvendo raperet ſecum terram, Oceanumqve
Qvippe animal nullum poſſet tunc vivere in illis,
O rem mirandam in primis! qvis non ſtupeat, qvum
Secum agitat, tantám tam parvo tempore molem,
Tam longas tranſire vias, iterumqve reverti,
Nec ceſſare unqvam, & nullum ſentire laborem?

Hinc aliqvi credunt, à diis totum æthera volvi,
Aſſignantqve ſuum motorem cuilibet orbi:
Qvi qvaſi priſtino addictus, non deſinat unqvam
Tam vaſtam verſare molem noctesqve diesqve.
Nec qvamvis cupiat, minimum reqvieſcere poſſit.
Felix ſervitio tali Deus ille profecto.
Sed nugæ ſunt hæc, commentaq; inania eorum
Qvi cupiunt primi mortales inter haberi.
O qvot moroſophos tellus parit, & philodoxos.
Qvare non tutum eſt facile omnia credere cuivis,
Ille licet magni ſit nominis, innumerasqve
Scribendo impleri nigra loligine chartas
Magni ſœpe viri mendacia magna loqvuntur,
Et nemo eſt adeò prudens qvin ſæpius erret.
Eſt igitur ratio in primis qværenda, fidesqve
Major in ambiguis rationi eſt ſemper habenda,
Qvàm dictis hominum: namqve hæc ſunt falſa freqventer
Qvid ratio oſtendit? cœlum ſtellasqve moveri
A diis, an per ſe, natura aliqve vigore? (ptas
Qvalis honor, vel qvale lucrum, vel qvanta volu-
Eſſe poteſt divis, verſantibus æthera ſemper,
Ut ſtultorum hominum vitæ opportuna miniſtrent
Utq; feras pecudes, volucres, piſcesq; gubernent?
Sicne decet dominos ſervis ſervire? deosqve
Servitio æterno damnati, ut pabula brutis,
Ut ſtultis pravisqve ferant mortalibus eſcam?
Nonne decet potius libertas, maxima divos,
Ut qvocunqve velint faciles accedere poſſint?
Ne tanqvam dura devincti compede, nuſqvam
Ire qveant, ſemperqve loco teneantur eodem
Aut tanqvam figuli inſtantes operiqve rotæqve,
Nunqvam decedant ſcamno, nunqvam otia captent

Eſtne

Eſtne illis adeò dulcis labor, ille rotandi?
An labor ille poteſt divis nunqvam eſſe moleſtus?
O ſapientum hominum ſententia digna notatis.
Sed ratio obſiſtit, ratio manifeſta reclamat:
Nil etenim per ſe æternum eſt, niſi conditor or-
Poſt ipſum æterna eſt rerum natura ſuarum, (bis.
Qvas ipſe ex nihilo, ſtabili ſed lege creavit,
Ut non eſſe qveant aliter qvàm juſſerat olim,
Qvum primum immenſi jaceret fundamina mundi.
Sic aqva ſemper erit mollis, ſic ignis adurens;
Sic ſtabilis tellus, ſic ſemper mobilis aër,
Sic & circumagi cœlum ſine fine neceſſe eſt:
Sic forma & virtus herbis ſua cuiqve tributa eſt,
Nec non arboribus, nec non animalibus ipſis,
Ut nullo poſſint mutari prorſus ab ævo:
Uſqve adeò ipſius naturæ immobilis ordo eſt,
Uſqve adeò eſt eadem ſemper divina voluntas:
Qvare ſi motus cœli eſt æternus, oportet
Naturalem eſſe, ut gravium leviumqve videmus.
Nam qvod naturæ eſt propriũ, non deficit unqvam.
Si verò eſt alius motor, qvandoqve qvieſcit:
Nil etenim æterno violentum tempore durat.
An gravium & levium natura potentior eſt qvàm
Aſtrorum & cœli, ut poſſint per ſe illa moveri,
Hæc vero neqveant, niſi diis agitentur ab ipſis?
Terra ergo atqve ignis ſunt æthere nobiliores
Saltem ex hoc qvod non motoris egent alieni.
Sed per ſe à centro aut ad centrum tendere poſſunt
Credendum eſt igitur, cœleſtia corpora per ſe
Atqve ſuis formis, ut terra ignisqve moveri.
Natura eſt ſiqvidem motore potentior omni,
Naturam vincit ſolus Deus: & nihil (ipſo
Excepto) eſt melius natura & majus in orbe.
Natu-

Naturam vero appello, legem omnipotentis
Supremiqꝫ patris, qvam prima ab origine mundi
Cunctis imposuit rebus, jussitqve teneri
Inviolabiliter, dum mundi secla manerent.
Nam legem hanc rerum formis Deus indidit: unde
Qvum rebus dant esse, Dei mandata libenter
Efficiunt formæ, & neqveunt hanc fallere legem.
Nempe suis res à formis tales generantur,
Qvales præcepit qvi formas condidit ipsas.
Hæc verè ac propriè natura est, et melius qvàm
Forma aut materia, ut qvidam posuere, etenim sunt
Hæc duo cunctarum potiùs primordia rerum,
Vel causæ primæ, vel componentia prima,
Non autem natura placent si nomina vera,
Et nisi malimus dare falsa vocabula rebus.
Sed de hoc jam satis: ad reliqva accedamus, & utrum
Sint deserta poli pulcherrima regna beati,
An qvisqvam sedes illas teneatqve colatqve,
Præsens hora monet solito nos dicere versu
Qvum cœlum sit tam immensum, tantiqve decoris,
Conspicuum tot sideribus, tam nobile corpus,
Desertum & vacuum & solum incultumqve manebit?
Terra autem innumetis gaudebit, & unda colonis?
An mare vel tellus, locus est juncundior atqve
Pulchrior & melior, vel toto major Olympo?
Propter qvod potius, qvam æther, mereantur habe-
Tot cives, & tam variis animalia formis? (re
An regis prudentis erit, fabricare parati
Ingentem molem, peregrimo marmore & auro
Egregiam, & mirè speciosam intusqve forisqve,
Nolle tamen (stabulo excepto) permittere qvenqvam

Tam pulchras habitare ædes, vacuaqve tenere?
Nempe eſt totius mundi ſtabulum terra, in qva
Sunt omnes ſordes, pulvis, cœnumqve fimumqve,
Oſſa, putres carnes, varia excrementa animantum.
Qvis memorare unqvam tot fœda im̄undaqꝫ poſſet,
Qvæ tellus & pontus habent, ac ſemper habebunt?
Qvis neſcit pluvias, nebulas, nubesqve, nivesqve,
Prælia ventorum, tempeſtatumqve furores,
Qvæ mare perturbant, qvatiunt terrā, aëra verſant?
Terra tamen pontusqve tenet animalia multa:
At cœlum vacuum, vacuum cœlum eſſe putatur?
O vacuæ potius mentes, qvæ creditis iſtud?
Qvippe ſuos etiam cives habet æther: & aſtra
Singula, ſunt urbes cœli, ſedesqve deorum
Illic & reges, populi inveniuntur & illic.
Sed veri reges, populi veri, omnia vera:
Non velut hic, umbra ſimulacraqve inania rerum,
Qvas citò mors rapit, & tempus terit, inqvinat, au-
Illic felices, immortales, ſapientes: (fert,
Hic habitant miſeri, mortales, inſipientes:
Illic pax & lux regnant, & ſum̄a voluptas: (loris
Hic bellum aſſiduum & tenebræ, & genus omne do-
I nunc, & lauda terram hanc, hanc dilige vitam.
Imo aude, ô demens, ſtabulum hoc præponere cœlo.
Verùm aliqvis dubitare poteſt, ſi durior æther
Eſt adamante, & nil vacui reperitur in illo,
Qvomodo dii poterunt illic habitare, vel illas
Pergere, nimirum hoc fieri non poſſe videtur.
Præterea qvum cœlum ipſum non poſſit arari
Atqve fodi, qvonam pacto Bacchusqve Cèresqve
Naſcentur, frugesqve aliæ, qvarum indiget u-
Frivola ſunt hæc, & rugoſo digna cachinno. (ſus?
Namqve ſit ipſe licet multo ſolidiſſimus æther,
Pervi-

Pervius eſt tamen, & cedens cultoribus, & nil
Obſtat qvin facilè huc poſſint ſe ferre vel illuc,
Et qvacunqve libet nihil impediente moveri.
Cœlicolis etenim tenuiſſima corpora cunctis
Ille auctor mundi dedit; atqve leviſſima: qvàre
Ipſis non opus eſt foribus, patulisve feneſtris.
Per medios intrant muros, & marmora tranant,
Uſqve adeò eſt illis tenuis natura, potensqve.
Qvis, niſi vidiſſet piſces habitare ſub undis,
Sub limo ranas, ſalamandras vivere in igne,
Aëre chameleonta, & paſci rore cicadas,
Crederet? at vera hæc tamen & mira eſſe fatemur.
Plurima ſunt, qvæ cum fieri non poſſe putemus,
Sæpe tamen fieri poſſunt, & facta videmus.
Cur non ergo Deus potuit qvoqve condere tales
Cœlicolas, qvi per cœlum facile ire valerent,
Nulliusqve, cibi vel potus prorſus egerent?
Si potuit, certè voluit: nam turpe fuiſſet,
Tam pulchras ſedes, tamq; amplas linqvere inanes.
Atqvi cœlicolis non eſt opus, ut vel arando,
Vel fodiendo parent alimenta juvantia vitam:
Qvandoqvidem non ſunt illis mortalia membra,
Qvæ inſtaurare ſolet ſenſim labantia victus:
Nec ſitiunt unqvam divi, eſuriuntve beati.
Deniqve nulla illos penitus contriſtat egeſtas:
Qvippe ultra fines Lunæ illætabile nil eſt.
Cuncta mala in terris poſuit Deus, illaqve clauſit
In medio, & vetuit ſacrum contingere cœlum.
Ergo felices vivunt, nectarqve bibentes,
Ambroſiæ viridi paſcuntur gramine, cujus
Copia magna oritur, paſſim cœleſtibus arvis.
Cœlicolùm verò illorum felicior atqve
Nobilior vita eſt, loca qvi magis alta freqventant,

Nam qvanto æthereis locus eſt ſublimior oris,
Tanto etiam melior, tantoqve beatior idem eſt,
Sed qvid ſunt maculæ illæ atræ, qvæ in corpore lunæ
Apparent? nam de his homines diverſa loqvuntur:
Nil per ſe in cœlo lucet, niſi Phœbus: ab illo
Accipiunt lucem ſtellæ omnes, ipſaqve Luna:
Qvæ qvia cunctarum ſtellarum eſt ultima, & imam
Sortita eſt cœli ſedem, terrisqve propinqvam:
Ut ſit opaca magis, minus & ſincera neceſſe eſt,
Unde ejus partes qvum non æqvaliter omnes
Sint albæ & denſæ, & leves, lucisqve capaces:
Hinc non tota nitet luna, & maculoſa videtur:
Nam partes albæ & denſæ, levesqve receptant
Nocturnum ſolem, reliqvis ſine luce relictis.
Nocte igitur lucet, ſed tempore luna diurno
In faciem nubis maculoſæ albeſcit Olympo.
Sic & lampyrides lucent in nocte volantes,
Mox redeunte die amittunt in lumine lumen,
Et proprium oſtendunt amota fraude colorem,
Namqve dies vera oſtendit, nox fraudibus apta eſt,
An vero, æternum ſit cælum, an cœperit olim,
Expectetqve ſuum poſt plurima ſæcula finem,
Pulchrum etiam ſcitu eſt, unde hoc diverſa ſophorũ
Scripta extant: ait hic, negat ille, & opinio diſcors.
Fruſtra aliqvid facere? hic etenim inſipientibus eſt mos.
Cauſa aliqva ergo fuit. ſed qvæ? nempe illius ingens
Haud dubiè bonitas, nec non immenſa poteſtas,
Ne fruſtra intra ſe ſemper concluſa maneret
Utraqve, ſed potius cunctis effuſa pateret:
Fruſtra etenim bonus atqve potens is dicitur, à qvo
Nil unqvam fieri magnum egregiumqve videtur.
Si Deus ergo fuit ſemper bonus atqve potens, cur

Non

Non voluit ſemper tam pulchrum condere mundũ?
Cur in tam ſeros tantam rem diſtulit annos?
Nulla qvidem ratio eſſe poteſt, niſi fingere qviſ-
Aſtutus velit, & nugas præponere vero. (qvam
Qvare ſi humanæ rationi credere par eſt,
Æternus certè mundus dicetur, & omni
Principio prorſus qvoqve fine carere:
At ſi aliter qvondam dixit Deus, & ſua Moſi
Facta revelavit, debemus credere Moſi:
Succumbat ratio fidei, & captiva qvieſcat.
Namqve Deus nunqvam fallit, nec fallitur ipſe,
Si modò dignatur qvicqvam mortalibus unqvam
Dicere, ſi qvicqvam apparens arcana recludit.
At qvi materiam æternam poſuere, chaosqve
Nugantur, nam cur Deus hànc liqviſſet inanem:
Tamq; diu informem, potuit ſi condere mundum
Confeſtim, & primo momento cuncta creare?
Fruſtra differtur diverſa in tempora qvicqvid
Una eademqve poteſt fieri perniciter hora.
Sunt verò qvidam æternum mundum eſſe putantes
A nullo factùm tamen, à nulloqve creatùm:
Sed per ſe ut nunc eſt ante omnia ſecla fuiſſe,
Et per ſe ut nunc eſt poſt omnia ſecla futurum.
Qvod certè falſum eſt; ratio qvippe ipſa repugnant
Eſſe etenim nunqvam duo perfectiſſima poſſunt:
Nam diſſentirent forſan, bellumqve cierent.
Eſto qvòd ſemper concordi pace manerent,
Fruſtra ponuntur duo maxima, ſufficit unum.
Qvod ſaltem natura aliis prius eſſe neceſſe eſt.
Si prius eſt aliis, ergo eſt qvoqve cauſa aliorum:
Namq; prius, cauſa efficiens eſt proſteriorum. (avit
Qvocirca haud dubiè mundum hunc Deus ipſe cre-
Ex nihilo æternum, ſed qvomodo? ſi libet, audi.

Eſt bonitas æterna Dei, eſt æterna poteſtas:
Nònne ejus potuit ſimul eſſe æterna voluntas
Gignendi mundum? qvæ ſi fuit, ut ratio vult,
Nil obſtat qvin æterno ſit conditus ævo
Mundus ab artifice immenſo, compagine mira.
Ut ſi qvis ſolem æternum conceſſerit, idem
Aeternam ſolis lucem concedere debet.
Lux tamen effectus ſolis, ſol cauſa vocatur.
Sed decedentes jam cœlo elementa gradatim
Scrutemur, deqve his qvædam haud indigne loqvamur.
Qvidam ſub cœlo eſſe ignem dixere, propinqvum
Contiguumqve orbi lunæ, ſed luce carentem:
Urentem tamen inprimis, mirèqve calentem.
Qvod verum eſſe docet ratio, nam nocte videmus
Per ſydum volitare faces, flammasqve vagari
Aëra per liqvidum, & delabi ſidera cœlo.
Qvæ proinde veniunt, tenues qvòd in aëra fumi
Altius aſcendunt, ſuperòqve cremantur ab igni.
Namqve vapor duplex, alter levis, aridus, aptus
Incendi, unde ignes fiunt per inane volantes:
Alter frigidior, graviorqve & craſſior, ex qvo
Gignuntur nebulæ, pluviæ, nubèsqve, nivesqve,
Fulgura cum ventis, tonitru, ros, grando, pruina,
Qvod niſi ſub cœlo foret ignis, non vapor illic
Accendi poſſet, noctisqve volare per umbram.
Præterea qvum ignis levitate ipſum aëra vincat,
Altior haud dubiè locus illi convenit: ergo
Sub cœlo eſt ejus ſedes, & proxima lunæ.
Infra ignem verò eſt aër, qvi parte ſuprema
Accipit æthereum vicino, ex igne calorem,
Pars media ipſius multo eſt gelidiſſima, & illic
Concreſcunt nubes, conflantur fulmina vaſto

Cum tonitru, variisqve agitantes nubila venti.
Infima pars calida eſt, atq; humida, ne vapor ipſam
Humectat liqvidis exhalans jugiter undis,
Et calet ab ſolis radios tellure reflexos.
Hic nebulæ, hic pluviæ, hic tenui cum rore pruinæ
Atqve nives, varia ventorum ſorte creantur.
Qvippe data eſt ventis hujus non parva poteſtas
Aëris: hi poſſunt æſtivo tempore frigus
Gignere, & hybernis diffundere menſibus æſtum;
Hi nobis auferre valent & tradere fruges,
Hi nobis inferre valent & demere morbos.
Jurus ab aurora, Libycis venit Auſter ab oris.
Spirat ab occaſu Zephyrus, borealia flabra
Montibus à Scythicis, gelidaqve oriuntur ab arcto.
Inter qvos alii qvoqve ſunt, qvibus omnibus aër
Inferior ſervit, cumqve aëre terra fretumqve.
A ventis igitur nubes coguntur, ab ipſis
Nubibus emanant imbres, flocciqve nivales,
Fulmen, ros, grando, matutinæqve pruinæ:
Tempore ſed vario, varia ratione modoqve,
Et variis etiam perſtantibus aëra ventis.
Qvorum qvi mediæ veniunt de parte diei,
Nubesqve & nimbos pariunt, cœliqve calorem:
Qvi verò ex Scythicis regionibus, horrida gignunt
Frigora; ab his fiunt glacies, nix, atqve pruina,
Tempore brumali: ſed cœlum æſtate ſerenant.
Fert Zephyrus flores, terramqve virentibus herbis
Veſtit, dans avibus cantum, ſilvisqve decorem.
Eurus plerumq; eſt bonus: at qvandoqve procellas
Concitat ingentes, terris, pelagoqve timendas.
Hos ventos vel dii aërei, vel ſidera mittunt.
Sæpe etenim qvum theſauros tellure latentes
Vult auferre magus, vel conſecrare libellum,

Vel magico ritu qvenqvam ſibi ſubdere divùm:
Audivi exortum ventum, ſubitamqve procellam,
Aut ſata ſtraviſſe, aut hærentes vitibus uvas.
Materiam ventis præbet vapor ortus ab undis.
Cauſa movens ipſos, dii ſunt qvibus aëris eſt jus.
Verùm hæc non ſapiunt vulgo, neqve talia vulgus
Credere vult. qvid tum? gem̄as ne apponite porcis:
Credite vos docti, qvibus eſt mens altior, eſſe
Non ſolùm in cœlo, ſed in aëre plurima divûm
Millia qvi ventos tempeſtatesqve ciere.
Et tonitru facere, & detrudere fulmina poſſunt.
Non tamen eſſe nego cauſas alias qvoqve, naſci
Qvæ faciunt ventos: veluti ſol, lunaqve & aſtra,
Præſertim ſeptem qvæ vulgò errantia dicunt:
Qvorum opera exhalans vapor ad diverſa movetur.
Vidi ego, dum Romæ, Decimo regnante Leone,
Eſſem, opus à figulo factum, juvenisqve figuram,
Efflantem anguſto validum ventum oris hiatu:
Qvippe cano infuſam retinebat pectore lympham,
Qvæ ſubjecto igni reſoluta exibat ab ore,
In faciem vento validi, longeqve furebat.
Ergo etiam ventus reſoluta emittitur unda,
Dum vapor exhalans fugit impellente calore,
Namqve fugare ſolent ſeſe contraria ſemper.
Hac in parte etiam qvam diximus aëris ima,
Apparere ſolent regalia fata cometæ,
Apparere ſolet variata coloribus Jris.
Hanc radii ſolis roranti in nube figurant:
Illos ſtella facit de ſeptem errantibus una,
Dum ſibi ſubjecto radios impreſſa vapori,
Aſſimulat caudam, lumenqve in nube relinqvit.
Haud aliter qvàm qvum circumnitet area lunam

Area venturi (ut perhibent) prænuntia venti:
Aut cùm tres soles lucere aliqvando videntur,
Nec sunt tres tamen. At subjectæ in corpore nubis
Ceu qvodam in speculo, solis formatur imago,
Sub regione autem crassa imaqve aëris, unda est:
Unda inqvam Oceani, qvæ terram circuit omnem,
Angustoqve freto Herculeas ingressa columnas,
Diffundit sese, longè lateqve pererrans.
Hinc varium nomen sortitur, & hinc mare fertur
Aegæum, Jonium, Tyrrhenumqve, Adriacumqve,
Et mare Erythræum, & qvod Persidis alluit oras.
Hæc terræ occultas perlabitur unda cavernas,
Et fluit ac refluit semper, variumqve saporem
Accipit, ut varia est tellus, per viscera cujus
Transit sulphureumqve à sulphure mittit odorem.
Hinc æterno qvòd tempore flumina current:
Qvippe suos repetunt fontes, iterumqve marinos
Ad fluctus properant, illinc reditura vicissim.
Hac abeunt, illac redeunt, & aguntur in orbem
Assiduè, vegetantqve ut sanguis corpora, terram:
Hæc eadem facit unda lacus, crassasqve paludes,
Necnon perspicuos fontes, puteosqve perennes.
Deniqve ab Oceano emanat vis omnis aqvarum
Qvascunqꝫ orbis habet, lymphas hic edidit omnes,
Partim sub terra, partim supra ingredientes.
Partim etiam nigris de nubibus egredientes.
Sed cur est adeò salsum mare, nunqvid ab ipsa
Natura istud habet? non arbitror. At sapor omnis
Undarum á terra causam trahit, inveniuntur
In terra siqvidem montes salis, hoc tegit æqvor,
Exugitqve salem, liqvidasqve resolvit in undas.
Ergo sal, non Sol causa est salsedinis hujus.

Nam cur Sol non ſtagna etiam ſalſa efficit idem?
Nempe illam terræ partem, qvæ non erat apta
Uſibus humanis, nimia ſalſedine abundans,
Natura Oceano ſubſtravit provida: at illam
Qvæ fuerat melior, qvæ dignior, uberiorqve,
Detexit nobis, nobisqve reliqvit apertam:
In qva ſunt montes, colles, clivi, tumuliqve,
Convalles, campi, rupes, fauces, juga, rura,
Silvæ, ſtagna, lacus, fontes, fluvii, atqve paludes,
Oppida parva, urbes magnæ, pagi, villæ, arces,
Saxa, metalla, hominum vitæ opportuna tuendæ
Huic terræ, illiusqve opibus natura Deusqve
Præpoſuere hominem, & regem fecere animatum,
Qvotqvot pontus habet, qvotqvot tellure morantur
Ingeniumqve illi ac mentem tribuêre: qvibus ſe
Præponat cunctis, terrarumqve imperet orbi:
Atqve Deum agnoſcens, illum metuatqve colatqve:
In medio terræ eſt centrum, qvod ſuſtinet ipſam.
Nam Deus ad centrum juſſit gravia omnia ferri.
Nec naturali motu decedere ab ipſo
Poſſunt. atqve ideo terra eſt immobilis, & ſe
Suſtinet in medio, ac propria gravitate tenetur.
Undiqve enim ad centrum concurrit prona, globumqve
Efficit im̃enſum, & denſum, ſolidumq; & opacum;
Circa qvem roſeis noctesqve diesqve qvadrigis
Sol vehitur: ſed nox adverſa in parte creatur.
Qvippe aliud non eſt qvam terræ atqve æqvoris umbra,
Qvæ ſi fortè ferit nocturnæ corpora lunæ,
Eclipſin facit, & populos terroribus implet,
Credentes magico labefactam carmine divam.
Umbra hæc tunc noctes majores efficit, eſt qvum
Diſtans

Diſtans à nobis ſol longius: at breviores,
Qvum redit, & Cancri borealia ſigna reviſit.
Cauſa hujus tumor eſt terræ, montèsqve ſuperbi,
Qvos interpoſuit prudens natura, ſuis ut
Verticibus noctes mutato ſidere mutent.
Nam qvanto magis accedit ſol pronus ad auſtrum,
Tanto majores veniunt à montibus umbræ
Umbræ, qvæ abſcondunt lucem, auroramq; moran-
Et ſpatio breviore diem procedere cogunt. (tur,
Tunc ſpargit glacialis hyems ſua frigora nobis,
Tunc æſtas regna Antipodum declivia torret.
Qvum vero ſol ad Cancri loca ſumma recurrit,
Tunc nox ſit brevior nobis, redeuntqve calores.
At bruma Antipodas magno tunc frigore torqvet.
Sic vario curſu variat Sol tempora, & annum
Qvattuor in partes totum diſcriminat æqvas:
Circuiensqve orbem terrarum ſervit utrisqve
Gentibus, & qvæ ſub terra verſantur, & illis
Qvæ ſupra, atq; pari moderamine temperat omnes,
Nam ſub terra homines etiam ſunt, non mare
tantum
Aut ſilvæ, neqve enim Solem natura diemqve
Juſſiſſet radios illic effundere inanes,
Et ſolùm ſervire feris, generisqve natantum
Nimirum tellus habitatur tota, nec ullus
Eſt locus, aut zona ulla, in qva non vivere poſſint
Mortales, aptasqve ſibi componere ſedes:
Sit licet immodicum frigus, vel maximus æſtus
Illic aſſiduè: natura ubi triſtia fixit,
Læta adhibet, miſcetqve ſagax adverſa ſecundis:
Atq; ubi fert morbos, medicamina debita gignit.
Ergo ubicunqve calor nimius reperitur, ibidem
Non gelidi montes, non frigida flamina deſunt,

Non ſilvæ umbriferæ, & multis cum fontibus amnes
Qvæ valeant homines tanto defendere ab æſtu.
Præterea eſt illic ſemper nox æqva dici,
Qvæ ſolis radios æqvato frigore frænat
Unde fit ut zonam mediam non eſſe putemus
Deſertam omnino: multos ſed habere colonos,
Et proprio ingenio, & naturæ, munere tutos.
Zonæ etiam extremæ, qvas non habitarier ajunt,
Aſſiduis nivibus preſſas, glacièqve perenni,
Poſſunt nempe coli, ut ratio non frivola ſuadet.
Maxima namqve locis lignorum copia in illis
Naſcitur, & fiunt illic hypocauſta, graveſqve
Veſtes, ex variis animantum pellibus, unde
Calfaciunt ſe mortales, hyemiqve reſiſtunt,
Et multis arcere modis mala frigora norunt.
Congrua nec deſunt illis alimenta, ciboſqve
Indigenas partim, partim illuc undiqve vectos
Accipiunt largè, & dapibus veſcuntur opimis.
Non igitur verũ eſt qvod qvidam Græculus inqvit
Unius tantùm zonæ partem, exiguamqve
Naturam humano generi tribuiſſe colendam:
At reliqvum terræ deſertum prorſus, ab ipſis
Piſcibus atqve feris duntaxat ſemper haberi.
Ah foret indignum certè hoc, natura minoris
Feciſſet nos qvam bruta, imperiumqve dediſſet
In terris majus qvàm homini & ſpatioſius illis.
Qvare ſi qva fides adhibenda eſt vera loqventi.
Haud dubiè tellus tota eſt habitabilis, & nil
Obſtat qvin poſſint mortales vivere ubiqve.
Naturæ auxilium in rebus non deficit ullis.
Ingeniùmqve hominis duriſſima qvæqve refringit,
Poſtremò, qvoniam ad finem properamus, & hora
Jam dudum monet æthereos invadere piſces.

Pro-

Propterea exponam paucis cur terra tremiſcat,
Qvæ vis tanta illam qvatiat, cogatqve moveri.
Scire igitur licet, innumeras vaſtasqve cavernas
Sub terris eſſe, atqve illic qvandoqve creari
Ingentes ventos: qvi dum crudelia miſcent
Prælia, concutiunt terram, nimioqve furore
Congreſſi evertunt totas cum mœnibus urbes.
Donec parte aliqva erumpant facto agmine, & auras
Diffuſi in vacuas non longa pace qvieſcant.
Gignuntur verò hi venti telluris in alvo
Ex fumis, qvos vicina trahit ignis ab unda.
Qvippe ignes in ſe multos magnosqve perenni
Tempore nutrit humus (dictu mirabile.) ſed non
Falſa tamen refero. Credet qvi viderit Aetnam,
Qvi ſcatebras calidarum uſqvam ſpectarit aqva-rum,
Et qvi vitiferi benè noverit acta Veſuvi.
Hos agitant ventos qvi ſubterranea regna
Dii manes habitant, cæcisqve morantur in antris
Non etenim nugæ prorſus, nec inania verba
Sunt, qvæ Stygii rebus memorantur Averni.
Nempe locus nullus fruſtra eſt: habitatur ubiqve
Sub terris, ſupra terras, inqve aëre & igni,
In cœlo & ſupra cœlum, eſt ubi regia ſummi
Induperatoris, mundum qvi poſſidet omnem.
Muſa vale: interea extremum meditare laborem

Liber Duodecimus.

Synopſis Libri XII.

Summus Æther rerum terminus non eſt; ſed extra cœlum eſt immenſa ſine corpore lux. Veterum ſomnia de triplici cœlo ſuis habitatoribus culto huc referuntur

lu-

lucemqve ſine corpore eſſe poſſe probare annititur: qvia ſcilicet forma dat eſſe rebus. Qvæqve ideo lux corporeis oculis cerni neqvit. Mira hic qvoqve de formis ſine materia occurrunt. Millia innumera Divum Ætherem lucemqve prædictam inhabitant: qvorum dignitatem vitamqve deſcribit. Æternam Atheis ruinam minatur. Juſtos pioſqve ad rerum terrenarum deſpectum cœleſtiumq; amorem excitat, & ſpe vitæ æternæ ſolatur. Mali dæmones facile ab hominibus ad colloqvium evocantur, boni vero non adeo: qvod tamen a rite purificatis aliqvando impetratur. Qvæ omnia ab aliis perperam negari aſſerit. Gratiisqve tandem Deo actis, totius operis finem facit.

PISCES.

SUMME Deus, rex omnipotens, pater optime, cujus
Tam pulchrum tamq; im̃enſum ſapientia mundum
Condidit ex nihilo, & regit, aſſidueqve tuetur,
Principium & finis rerum, cui omnia parent:
Qvo majus, melius, ſpecioſius, altius eſt nil:
Qvi ſupra omne habitas cœlum; ſine fine beatus:
Mens mea nunc ad te cupiens conſcendere, Muſis
Non eget, aut Phœbo, aut Parnaſſo, aut fontibus illis
Vaniloqvi qvoſcunqve ſolent haurire poëtæ,
Magnifica inſano ſcripturi ſomnia vulgo.
Qvippe alio auxilio nobis, alioqve favore
Eſt opus, atqve alias ſitientes qværimus undas?
Te voco te imploro te poſco, te precor unum,
Ut cœpto jampridem operi, extremòqve labori
Aſpires, tribuàsqve optatum attingere finem.
Mitte tuum qvæſo Deus in mea pectora numen:

Qvo afflatus miranda tui penetralia regni
Spectare, & spectata aliis exponere possim,
Carminibusq; meis æternum acqvirere honorem.
Sunt qvi extra cœlum credant nihil esse putentq;
Aetheris in summo dorso consistere fines
Rerum, qvos ultra natura extendere vires
Non qveat ipsa suas, ac debilitate qviescat.
Qvod falsum ratione mihi suadente videtur.
Nam si illic finis rerum est, ubi desinit æther,
Cur nil ulterius fecit Deus? an qvia scivit
Nil facere ulterius, propria defectus ab arte?
An qvia non potuit? sed jure negatur utrúmqve:
Qvippè Dei nullis est clausa scientia metis,
Et nullum patitur divina potentia finem.
Non etenim res ulla Deum concludere certis
Limitibus potuit, nec seipse coërcuit ultrò.
Magna loqvor: tamen hæc ratio qvoqve magna probabit.
Si res ulla Deum finit vel terminat ergo
Fortior est res illa Deo: nam qvomodo posset
Efficere id, si non ipsum superaret agendo.
Qvem finire cupit, qvem circumscribere qværit?
At res nulla Deum superat, neqve fortior ipso est.
Qvare nec finire potest, nec se Deus ultro
Limitibus cinxit qvis enim sibi ponere finem
Vellet, qvum posset liberrimus esse, suasqve
Qvantumcùmqve sibi libeat diffundere vires?
Nemo est qvi cupiat sese fecisse minorem:
Imò omnes qværunt majora capessere semper,
Atqve aliqvid semper jam partis addere rebus
Et licet ingentes expandere latius alas.
Num Deus ergo volet, qvum possit maximus esse,
Ac sine fine potens, proprium cohibere vigorem,
Sponte

Sponte ſua, anguſtasqve ſibi circundare metas:
Non decet hoc certè. qvare nec credere fas eſt,
Eſſe Deo finem, ſi non accepit ab ullo,
Nec dedit ipſe ſibi: ut ratio jam noſtra probavit.
His ita præpoſitis, concludimus, infinitum
Eſſe Dei omnipotentis opus, ne vana poteſtas
Illius dici, & ne vàna ſcientia poſſit.
Nam ſi extra cœlum ſcivit potuitqve creare
Plura qvoqve & majora Deus, ſed noluit: ergo
Scire ac poſſe ſuum fruſtra eſt, & prorſus inane.
Si ſciret qviſqvam, & ſi poſſet gnaviter artem
Exercere aliqvam, nollet tamen, ac nihil unqvam
Efficeret, fruſtra artificis ſibi nomen haberet,
Et fruſtra propriam verbis extolleret artem,
Qvæ non ars, imo deberet inertia dici.
Verùm in divina natura credere par eſt
Eſſe nihil fruſtra aut vanum, pulcherrima qvum ſit.
Qvæcumqve ergo Deus potuit, fecit qvoqve virtus
Ne ſua vana foret, ne ſemper pigra lateret.
Sed qvoniam potuit facere infinita, putandum eſt
Feciſſe infinita, omnemqve expleſſe vigorem,
Nec ſervaſſe in ſe vanum vel inutile qvicqvam.
Atqvi infinitum corpus poſſe eſſe negavit
Doctus Ariſtoteles, ego in hoc aſſentior illi.
Qvippe extra cœli fines non ponimus ullum
Corpus: ſed puram, immenſam, & ſine corpore lucem:
Lucem qva noſtri Solis longè minor eſt lux;
Lucem qvam terreni oculi non cernere poſſent:
Lucem, qvam ex ſeſe effundit Deus infinitam.
In qva habitant cum rege ſuo dii nobiliores:
Cætera turba minor verſatur in æthere ſemper.
Ergo triplex regnum eſt, ac mundi portio triplex

Cœlestis, subcœlestis, qvarum utraqve fine
Clausa suo est, reliqvam non ullus terminus ambit,
Qvæ supra cœlum splendescit lumine miro.
Fortè aliqvis dicet, nullum sine corpore lucem
Posse dari, unde extra cœlum lucem esse negabit;
Sed frustra oblatrat nobis frustraqve resistit.
Nam ratio mea dicta probat, verumqve tuetur;
Dic qvæso, cur Sol lucet? num qvòd sua per se est
Lucida materia: an potius sua forma dat illi
Hanc lucem qvæ tam vastum complectitur or-
Nimirum tribuit rebus forma omnibus esse, (bem?
Ut perhibent physici: qvibus & nos adstipulamur.
Forma igitur solis causa est ut luceat: & non
Materia, à forma vis & decor effluit omnis.
Qvòd si corporeis formis lux tanta tributa est,
Cur in corporeis lucem posse esse negamus?
Præsertim qvum sint puræ magis, & tenues, &
Participes multo uberius pulchriqve boniqve?
Ergo Deùm formæ lucent vehementer: at illa
Lux non est oculis mortalibus apta videri:
Imò inter divos qvo qvisqve potentior est &
Dignior, hoc etiam majori lumine fulget.
Non aurum, non gemmæ illis, non purpura honorem
Affert, ut nobis: lux est sua gloria divis.
Utqve inter stellas multo nitidissimus est sol:
Sic inter divos lucet Rex ille deorum,
Non tamen obscurat, reliqvos, qvin perficit illos;
Tanta ejus bonitas est, & sapientia tanta.
Fortè etiam obiiciet, subjectum esse aëra lucis,
Ac fundamentum: proinde aër est ubi nullus,
Extra oras cœli summi, lucem esse negabit.
Sed pariter nunc à vero decedit ut antè.
Non etenim est aër subjectum luminis, & non

Eſt (ut perverſè arbitratur) in aëre lumen:
Imò aër contrà eſt in lumine, ſi bene cernat,
Non qvid Ariſtoteles, ſed qvid ratio afferat ipſa:
Nam ſi adſtans foribus clauſis accenſa lucerna,
Vel fax immittat per rimam lumen in ædes
Obſcuras, qvatiatqve aliqvis tunc aera, juxta
Luminis immiſſi radium, tranſire per ipſum
Aer cogetur radium, nil lumine moto.
Si vero ipſe aër ſubjectum luminis eſſet,
Nempe eodem motu radius qvateretur & aër,
Cumqve ſuo haud dubiè ſubjecto lumen abiret.
Præterea ſi qvis nocturno tempore tædam
Accenſam properans geſtet, lux illa movetur
Aſſiduè, mutatqve locum illuſtratqve tenebras
Nunc has, nunc illas: tamen aër ipſe qvieſcit,
Immotusqvs manet, tæda currente per ipſum.
Qvòd ſi aër eſſet ſubjectum lucis, abiret,
Progrediens cum luce ſimul, numero unus & idem,
Hoc autem non fit, ſed lux ſtante aëre pergit,
Libera per ſeſe, & tædam comitatur euntem.
Unde patet, qvòd lux non indiget aëre, tanqvam
Subjecto: ſed ſtare poteſt absqve aëris uſu.
Præſertim lux illa Dei pulcherrima, cujus
Particula impreſſa eſt in noſtri corpore ſolis,
Atq; illic tanqvam in ſpeculo comprenſa tenetur,
Nam veluti in propria ſphæra non cernitur ignis
Sub luna poſitus, ſed ſi accendatur in ipſo
Materia, apparent tunc aſtra cadentia cœlo,
Ignitæqve trabes æſtiva nocte micantes
Atqve alia id genus humanas turbantia mentes:
Sic lux illa Dei per ſe neqvit ipſa videri
Corporeis oculis: at fixa in Sole niteſcit,
Propter materiam ſolis, qvæ aptiſſima luci eſt,

Qvippe ipſam talem fecit Deus, ut ſua poſſet
Illic lux recipi & tota fulgeſcere in orbe,
Allatura diem, & vitam, bona plurima rebus.
Illa etiam lux divina eſt impreſſa aliorum
Divorum formis: qvanvis non omnibus æqvè:
Ut non ſtellæ omnes æqvali lumine lucent,
Sed magis una alia, qvanto hæc perfectior illa eſt.
Utqve poteſt candela alias accendere plures,
Non tamen ipſa ſuum amittit minuitve nitorem,
Haud ſecus illa Dei lux inviolata, nihilqve
Decreſcens, alios impertit lumine divos.
Verùm aliqvis nunc me dubitans fortaſſe rogabit,
An præter lucem qvam diximus infinitam.
Qvicqvam aliud qvoq; ſit, magni extra mœnia mundi.
Sic licet indignum, atqve impar mortalibus auſis,
Ire tamen tentabo viam, qvæ nulla priorum
Hactenus apparent nobis veſtigia vatum,
Theſaurosqve Dei conabor pandere terris,
Si Deus ipſe volet, ſolitoqve favore juvabit.
Principiò patrem rerum, auctoremq; fatendum eſt
Eſſe Deum, atq; ipſo omne bonum pulchrũq; creari.
Qvin ſum̃um pulchrum atq; bonũ vere ipſe vocatur
Ergo ubicunqve manet Deus, illic gloria ſecum
Stat ſua, omne bonum ac pulchrum reperitur ibidem.
Qvocirca qvicqvid tellus & pontus & æther
Pulchri habet, atqve boni, totũ illud cernitur extra
Cœleſtes orbes, ubi ſummi eſt regia patris.
Et qvanqvam rebus non ulla in talibus inſit
Materia, haud ideo tamen entia falſa putato.
Nam ſunt vera magis, magis & perfecta magisqve
Pulchra his, materiæ qvibus eſt data portio rebus

Forma etenim qvæcunqve ipſam ſe ſuſtinet, absqve
Materiæ auxilio, longè eſt perfectior illa
Qvæ ſine materia per ſe conſiſtere non qvit.
Ergo illic formæ rerum ſine materia ſunt
Perfectæ ac puræ, qvas nec longæva vetuſtas
Lædere, nec vis ulla poteſt diſſolvere fati.
Plurima ſunt illic etiam pulcherrima, qvæ non
Corporeo in mundo omnipotens natura creavit.
Ex qvibus emanant felicia gaudia divis;
Gaudia qvæ neqveunt humana voce referri:
Gaudia qvæ nullo poſſunt amittier ævo.
Has formas incorporeas divina Platonis
Mens olim agnovit: qvamvis turba invida tanti
Scripta viri carpat, riſuqve illudat amaro.
Sed cunctis non noſſe datum eſt myſteria divùm:
Pauci hæc percipiunt, mundi qvibus annuit auctor,
Dàtqve ſuum, ut poſſint ſpeculari talia, lumen.
Poſtremò divùm ſunt illic millia tot, qvot,
Vel frondes habet omne nemus, vel littus arenas:
Vel piſces Nereus, vel ſtellas maximus æther:
Imò horum numerus numero non clauditur ullo:
Nam cur finitos fecit Deus, infinitos
Si potuit facere, ut ſua gloria latior eſſet?
Præſertim qvum ſit prorſus ſine limite mundus,
Ut ſuprà oſtenſum, & ſtabili ratione probatum eſt.
Verùm incorporei qvum ſint, omniqve carentes
Materia, idcirco mutantur tempore nullo:
Non ſenio ægreſcunt, & nil patiuntur amari.
Non ſomno aut eſca utuntur, nullumqve laborem
Norunt. Perpetua eſt illis & læta juventus,
Summaqve libertas: nulli ſervitur ab ullo,
Nec qviſqvam cogit, nec qvisqvam cogitur: unum

Dun-

Duntaxat Dominum agnoscunt, Regemqve Patremqve
Communem cunctis: illum venerantur amantqve,
Ultro illi adsistunt, parent ultrò, atqve ministrant,
Gaudentes, ejus laudes & facta canentes.
Qvisqve illi studet obseqvio ac pietate placere.
Bella absunt, odio nullo invidiave laborant.
Pax æterna viget, concordia maxima, amorqve
Mutuus est illis semper, nulla insidiarum
Suspicio, nullusve dolus sentitur ab illis.
Deniqve totius pars illa est optima mundi:
Qvæq; illic vivunt, sunt longè nobiliores
Qvam qvi habitant cœlum, & sacris versantur in astris
Nam qvanto inferior, terræqve propinqvior orbis
Qvilibet est, tanto divos tenet ille minores,
Atqve minora bona, & tanto est qvoq; vilior idem.
Unde ut qvi supra cœli fastigia vivunt,
Sunt summè pulchri atqve boni summeqve beati;
Sic qvi obscura habitant telluris viscera, summè
Turpes & pravi & miseri inveniuntur, & illic
Non temere esse olim finxerunt tartara vates:
Tartara, ubi scelerum mortales digna suorum
Præmia post mortem accipiunt, clausiqve tenebris
Aeternis frustra reqviem pacemqve reqvirunt.
Sed qvid ego in ventos effundo hæc verba, laborans
Incassum, & cæcis cupiens ostendere lucem?
Usqve adeò genus humanum delirat, ut esse
Neqvaqvam credat superos, infernaqve regna.
Maxima pars ridet, si qvis post funera dicat
Humanas superesse animas, & vivere semper.
Hinc est qvod solis inhiant noctesqve diesqve,
Divitiis: hæc est illorum maxima cura,
Ut fiant præ aliis auro gemmisqve potentes.

Aurum omnes utcumqve volunt, ſpes omnis in auro eſt,
Hinc currit furioſa audax in prælia miles.
Hinc natis, uxore, domo, patriaqve relictis
Mercator maris undiſoni per cærula vectus
Velivola, pinu, extremas procedit ad oras:
Qviſqve dolis ſtudet ac furtis, ut congerat aurum,
Aurum omnes cupiunt & amant, placet omnibus aurum
Nec pœnas metuunt ullas, ubi vita receſſit.
O prorſus terreni homines, ſolaqve figura
Diſcreta à brutis! ſolum cognoſcitis aurum,
Per qvod nil differt à ſtulto vir ſapiens, &
Qvod plerumq; malis fors improba donat abunde.
Diſcite nonnulla eſſe auro longè meliora,
Qvæ ſtultis pravisqve Deus concedere non vult.
Hæ ſunt virtutes, pietas, prudentia, necnon
Juſtitia, & junctis potior ſapientia rebus.
Hæc bona qviſqvis habet, deus eſt mortalis, & idem
Immortalis homo. felix poſt fata futurus.
At qvi non habet, & vitiis ſeſe inqvinat atris,
Morte obita in tenebras præceps rapietur avernas.
Hæc non ſunt nugæ, aut fabellæ, aut omnia: ſed ſunt
Vera qvidem, imo etiam veriſſima. Credite cæci,
Credite: væ vobis, ſi non creditis, abibit
Nam citò vita, & me verum dixiſſe ſcietis
Tunc demum qvum vos Plutonia regna tenebunt.
Ridetis nunc: ſed riſus vertetur amaras
In lacrymas, triſtesqve ferent hæc gaudia pœnas.
Tempus erit qvum nudi, inopes, miſeriq; jacebunt,
Auxiliumq; humili ac lacrymoſa voce rogabunt
Multi, qvi nunc divitiis regnoqve ſuperbi,
Præſe deſpiciunt cunctos hominesqve deosqve.
Unde ô vos, qvibus eſt cordi juſtumqve piumqve,

Sortiti meliorem animam, divina propago,
Hæc terrena inſtar nebulæ fugientia, qvæ ſors
Improba largiri ſtultis ſolet atqve ſceleſtis
Et qvæ poſt paucos annos mors omnibus aufert,
Ne multum curate, & ſpem ne ponite in illis.
Qværite duntaxat qvantum vitæ exigit uſus
Exiguum ſat erit: contenti vivite parvo.
Sed ſit veſter amor cœlum, cœleſtia totis
Viribus appetite, huc omnes intendite ſenſus:
In cœlo ſunt vera bona & durantia ſemper,
Qvæ nemo ſtultus, nemo ſceleratus habebit.
In terris qvæcunqve placent, ſunt omnia nugæ,
Qvas ſtulti & terreni homines, pecudumq; ſodales
Optant in primis, atqve hæc bona maxima cenſent:
Propter qvæ ſubeunt diſcrimina mille, cientqve
Prælia, & opponunt ſtultiſſima pectora morti:
His ſeſe extollunt, ſcarabæi ſtercore gaudent:
Vilia delectant viles, & turpia turpes.
Terrenis igitur terrena hæc linqvite: porci
Lætentur cœno, placeant cœleſtia vobis.
Magna decent magnos: ſunt fortia fortibus apta.
Terra breve hoſpitium eſt: patriam Deus æthere veſtram
Conſtituit: patrias optate reviſere ſedes.
Ut qvum corporeo egreſſi de carcere edendos
Liqveritis canibus veſtros, aut vermibus artus,
Illic poſſitis felices vivere ſemper.
Exempti à carne im̄unda, membrisqve caducis:
In qvibus incluſi, multos fortaſſe labores,
Et multos morbos, & triſtia multa tuliſtis,
In mortis regno, lacrymarum valle manentes.
Nomine enim tali digna eſt hæc terra vocari,
Qvæ mundi ſtabulum & genitrix, alitrixꝗ malorum

Regnat ubi inſanus dæmon, ſcelerum pater & rex
Propterea memores mortis vos eſſe freqventer
Convenit, & verſare animo qvàm proxima ſit mors
Semper, & immineat, teloqve minetur adunco.
Qvam de improviſo invadat, qvàm ſæpe juventam
Occupet, & pulchros importuna auferat annos.
O fragilis nimium, innumeriſqve obnoxia vita
Caſibus, ò nimium brevis atqve incerta, recedens
Fumi inſtar? nunc hic moritur, nunc ille: hodie tu,
Cras ego: ſic demum paulatim extinguimur omnes
Non ſecus ac pecudes, lanius qvas ſervat ovili
Mactandas, nunc has ferro, nunc percutit illas,
Cras alias, poteſt cras alias, ſic deniqve cunctas
Dilaniat: donec caulæ reddantur inanes.
Hanc igitur fragilem vitam contemnite, cujus
Principium eſt fletus, mediũ labor & dolor, at mors
Finis. Qvis talem vitam niſi ſtultus amabit?
Vitam aliam ſperate, aliam affectate, ubi nullus
Eſt fletus, nullus labor accidit, aut dolor, aut mors.
Nempe hæc vos manet: hæc dabitur poſt funera vo-
Qvi vitia odiſtis, ſancteqve Deum coluiſtis: (bis
Nec veſtram in rebus terrenis ſpem poſuiſtis:
Sed caſti, innocui, veri, puriqve fuiſtis.
Fortè aliqvi ex his, qvi credunt intra æthera & extra
Eſſe deos, vellent artem qvoqꝫ diſcere (ſi qva eſt)
Per qvam illos poſſent affari, illoſqve videre.
O qvàm ſublime hoc, & qvàm mirabile donum eſt,
Qvo nihil in terris homini contingere majus
Poſſe puto: at pauci tanto dignantur honore.
Nam cum dæmonibus multi fortaſſe loqvuntur:
Qvos facile alliciunt precibus, ſacriſqve peractis.
Cum procul à terris non ſint, & in aëre vivant,
Atq; hominum cœtus videant adeantq; freqventer

Imo ultro apparent multis, ultroqve miniſtrant:
Et juvenum magno interdum capiuntur amore.
Dii verò ætherei terras odere, hominumqve
Res dedignantur cognoſcere, & impia facta
Ipſorum deſtantur, renuuntqve videre:
Qvippe qvibus bene compertum eſt qvam ſtulta & iniqva
Sit natura hominum, qvam fallax, perfida, & audax,
Contemptrix, ſpretrix; blaſphematrixqve deorum.
Qvare compellare ipſos, & cernere coram,
Difficilis nimium labor eſt, & gratia rara:
Qvandoqvidem occludunt humanis vocibus aures
Avertuntqve oculos ab eorum muneribus, qvi
Poſtqvam ſe furtis ditarunt atqve rapinis,
Particulam exiguam rerum non jure ſuarum
Addicunt templis, cœlum venale putantes.
O bipedes aſini: divos cenſetis avaros?
Et gemmas cupere, & fulvo lætarier auro?
Aut veſtri auxilii, veſtriqve favoris egere?
More hominum donis corrumpi creditis illos?
Non corrumpuntur pretio, nec munera curant,
Cum ſint felices, atqve omni ex parte beati.
Cùm ſua ſint qvæcunqve tenent, tellus, mare, & æther
Qvomodo qvæ ſua ſunt divis donare poteſtis?
Nonne ipſi potius donant hæc omnia vobis?
Ergo cùm precibus flecti donisqve recuſent,
Ardua res nimis eſt illis præſentibus uti.
Ardua ſed qvanqvam res eſt, tamen aggrediemur:
Et qvid in hoc valeant vires noſtræ experiemur,
Principiò cauſas qvibus ipſis gratificari
Poſſimus ſuperis, inveſtigare neceſſe eſt:
Nam neqve divitiis, neqve nobilitate moventur,

Non regno, imperiove ullo, clarisve triumphis.
Nec curant, ſi qvis forma vel robore præſtet.
Talia contemnunt prorſus: nec talia propter
Audire, aut ſaltem dignanrur cernere qvenqvam:
Unde alia eſt qværenda via, ut mereamur eorum
Conſpectu alloqvioqve frui. Mea carmina forſan
Hanc monſtrare viam poterunt, artemqve docere:
Si modò tam pulchris adſpirant numina cœptis.
Prima eſt mundicies animiqve & corporis, ob qvam
Diis homo fit gratus, divumqve meretur amorem,
Qvippe omne imundum odere, & væhementer abhorrent.
Uſq; adeò ipſorum pulcherrima & optima vita eſt,
Qvare danda opera in primis, ut ſimus ad unguem
Purgati, nitidi, puri, & ſine ſordibus ullis,
Veſte atra exuti, & niveo candore decori.
Candida conveniunt ſuperis, at manibus atra.
Difficile hoc fateor: nam qvis ſine crimine vitam.
Ducit? qvis macula mundus reperitur ab omni;
Cuiqve ſuum impreſſit vitium natura, nihilqve eſt
Tam pulchrum in terris, aliqva qvin labe notetur.
Sunt qvædam peccata tamen, tam frivola, tamqve
Exigua, ut prope nil offendant lumina divûm:
Unde his non indignantur: nam talia non ſunt
Ulcera, ſed tanqvam ſpecioſo in corpore nævi,
Qveis facile indulgent veniam pia numina, qvando
Norunt qvã infirma & fragilis natura hominum ſit
At noxis gravibus valde offerendum, & omnes
Oderunt, ſpernunt, deteſtanturqve ſceleſtos,
Nec tales audire volunt: niſi ſe prius ipſi
Mundarint multis lacrymis pèccata lavantes,
Abſtulerintqve atras maculas candore reducto,
Et veniam precibusqve piis animiqve dolore

Qvæſierint, iterum virtutis calle reperto,
Et veterem exuerint pellem, ceu tempore verno
Antiqvas ſolet exuvias deponere ſerpens:
Qvi renovatus abit, ſpolio inter ſaxa relicto,
Et caput in cœlum attollens, animoqve ſuperbus
Ingeminat trifidis horrentia ſibila linguis.
Sic dii placantur ſic ſe, qvum ritè vocantur
Oſtendunt, & ſic nobis oracula dantur.
Eſt aliud tamen addendum, niveoqve colori
Jungendus roſeus, facies pulcherrima tunc eſt
Qvum porphyriaco variantur candida rubro.
Qvid color hic roſeus ſibi vult? deſignat amorem,
Qvippe amor eſt igni ſimilis, flammasqve rubentes
Ignis habere ſolet: color & calor exit ab illo.
Ergo opus eſt præter jam dicta, ut numina amemus
Væmenter: nam qviſqvis amat, fit dignus amari.
Qvisqvis amat ſuperos, & purè vivit, ab illis
Non poterit ſperni, & fructu potietur amoris:
Qvodqꝫ petet, tandem accipiet, fietqve beatus.
Sed qvis amat ſuperos? an qvi deſiderat hujus
Corporis illecebras, & turpia gaudia qværit?
An qvi in deliciis volucres habet? & canibus rem
Inſanus patriam vel eqvis oblimat alendis?
An qvi omni ſtudio fumoſos ambit honores,
Hiſtrio fortunæ, & reſidens in culmine bubo?
An qvi in divitiis confixit, & omnibus illas
Artibus agglomerat, qvas numinis inſtar adorat?
Credite: qvi terrena volunt, cœleſtia nolunt.
Nemo poteſt dominis rectè ſervire duobus.
Candida qviſqvis amat, contemnat nigra neceſſe eſt
Triſtatur tenebris qvi ſolis lumine gaudet:
Et cui dulce placet, non delectatur amaro:
Qvi ad terram accedit, cœlum fugit: æthera amare

Nemo

Nemo poteſt, niſi ſit terreno exutus amore.
Sed pauci, heu nimium pauci contemnere poſſunt
Hæc terrena, aliſqve animi ſe attollere cœlo.
Cur? qvia difficile eſt, fateor: ſed præmia magna
Efficiunt facilem atq; levem qvemcumq; laborem.
Qvid majus qvàm præſentes agnoſcere divos?
Cernere & affari? nempe hæc eſt maxima merces,
Propter qvam nil debemus non ferre libenter.
Ignavi vellent lucrari, & ſcalpere ventrem:
Difficile eſt virtutis iter: tamen impiger illam
Aſſeqvitur, nec non pretium virtutis honorem,
Strenuus accipiet ſpecioſa epinicia miles.
Ignavus vero ac timidus ſine laude jacebit.
Ergo laborandum eſt totis conatibus, ut nos
Aſpiciant & ament ſuperi, tunc omnia nobis
Proſpera ſuccedent vivis, ac morte ſolutis.
Qvid tanti facimus terram, qvam linqvere oportet
Momento exiguo? cœci, fugitiva putamus
Æternis potiora bonis: qvæ inſania noſtra eſt?
Poſtremo reliqvum eſt ut crebris ſupplicibusqve
Inſiſtat precibus qvi vult commercia divùm.
Non ſatis eſt petiiſſe ſemel: multumqve diuqve
Orandum eſt donec longo poſt tempore victor
Ac voti compos divina luce fruatur.
Non annoſa uno qvercus deciditur ictu,
Non ſtilla una cavat marmor, neq; protinus uno
Condita Roma die: ſegetes, animalia, ſylvæ (eſt
Paulatim fiunt, longoqve augentur ab ævo.
Tu tantum tamqve inſigne ac mirabile credis
Poſſe opus extemplò fieri, minimoqve labore?
Non ſic ad magnos facile eſt accedere reges,
Et compellare; & coram auſcultare viciſſim.
Nonne deos longe meliores regibus eſſe
Cenſes

Censes? cur igitur venient nisi sæpè vocentur,
Et nisi suppliciter dominorum more rogentur?
Qvocirca nos ne pigeat bis terqve qvaterqve
Qvaqve die ingeminare preces, superosq́; rogare,
Ut si dignentur qvandoqve ostendere nobis,
Alloqvioqve suo nos multa arcana docere.
Hoc si fecerimus, venient, mihi credite, tandem
Nosqve suo adventu misera hac in carne beabunt,
Et mox in cœlo secum sine fine tenebunt,
Est ubi vera salus, & felicissima vita:
Tunc ire ad mundum archetypum sæpe, atq́; redire,
Cunctarumqve patrem rerum spectare licebit:
Qvo Melius nihil esse potest, neqve pulchrius usqvam,
Qvi cujusqve boni ac pulchri fons, auctor, origo est
Multi autem non posse putant contingere, ut illi
In terris posito divi apparere, loqvive
Dignentur, meqve arbitrantur fingere nugas,
His facile ignosco. neq́; enim dedit omnibus unum
Natura ingenium: qvidam cœlestia semper
Mente agitant, semperq́; aliqvid sublime revolvunt
Nonnulli tantùm qvæ sunt mediocria curant,
Nec procul à terris multum se attolere gaudent.
Innumeri tellure jacent, nec surgere possunt
Omnino, totoqve animo tellure morantur:
Non secus ac volucres spatiantur in aëre qvædam
Sublimi, & levibus pennis altissima tranant:
Nonnullæ medias percurrunt aëris oras,
Nec multum sublime volant: pars cætera in imo
Versatur spatio, & terris vicina freqventat.
Qvare non mirum est si nostris credere dictis
Turba neqvit: siqvidem turbæ crassissima mens est.
Vera tamen sunt qvæ dixi: nam qvomodo qvisqvam

Montibus in rigidis inter deſerta manere
Solus ſponte ſua, & tam duram ducere vitam
Poſſet? nempe brevi rueret, niſi qvis Deus illum
Conſolans blandè, tanto mærore levaret.
Credite, qvi loca ſola colit, deſertaqve, vitans
Humanos cœtus, aut prorſus deſipit, aut eſt
Plus homine, & crebro fruitur ſermone deorum.
Hoc pacto priſcos olim vixiſſe prophetas
Fama refert: multos etiam poſt funera Chriſti
Qvos ſanctos dixêre, patres: & tempore noſtro
Complures tali funguntur munere vita.
Hos tu homines, cum prudenter ſciteq; loqvantur
Cùm faciant miranda, & cum ventura recludant,
Deliros, hebetes, contemnemdosqve putabis?
An magis afflatos divino numine credes?
Præterea multos Eccleſia ſancta fuiſſe
Affirmat, qvi ſæpè deos vidère beatos.
Credere cur nolim, cùm ſancta Eccleſia dicat?
Non ſunt nugæ igitur, ſed conſentanea vero,
Poſſe hominem affari divos coram, atqve videre:
Qvod reor eſſe bonum ſummum, finemqve bonorum
Cunctorum qvæcunq; homini contingere poſſunt,
Donec præſentis vitæ freta turbida ſulcat,
Cum vere elapſus mortali carcere abibit
Spiritus, abducens ſecum hæc tria, qvæ ſibi ſemper
Sunt propria, mentem, ſenſum, motum, ætheris oras
Exultans petet, & felix perfectè erit illic:
Qvippe habitans cum diis, Deus efficietur & ipſe
O cœlum immenſum, ô pulcherrima regia divûm,
Qvàm pura es, qvam perſpicua & mirabilis, & qvot
Undiqve ſideribus variis ornata renides,

Regia cunctarum pleniſſima deliciarum.
Nam ſi tot pulchris & gratis rebus abundat
Terra, hominum locus ac pecudum: viliſſima mundi
Portio: qvid de te cenſendum? ſtant ubi ſancti
Cœlicolæ, rerum domini, regesqve beati?
O utinam poſtqvam mea triſtia fila ſorores
Lanifica implerint, liceat, mihi corporis hujus
Exempto latebris, illuc accedere, & illic
Deliciis tam mirandis ſine fine potiri
Jamqve ego Zodiaci divino munere noſtri
Sidera librorum numero duodena peregi:
Longum opus, & ſtudio longoqve labore
Confectum tandem, atqve extremo limite clauſum.
Qvas tibi agam grates, ô mundi maxime princeps,
Qvi me juſſiſti tam pulchra & grandia cœpta
Audere audentiqve animum viresqve dediſti?
Gloria lausqve tua eſt, ſi qvid mea pagina pulchri
Continet atqve boni: pulchrum namqve omne bonumqve
Ex te oritur, tu principium finisqve fuiſti
Tanti operis, tu rexiſti mentemqve manumqve
Gratulor ergo tibi ſoli, tuus eſt honor omnis,
Si qvam tamen mihi debetur mercedula: poſco
Te Deus hoc, ut qvando aderit meta ultima vitæ,
Vitæ, qvam noctis per inania ſomnia duco:
Qvam redeunte die varius labor urget & angit:
Vitæ, qvam nemo ſapiens non novit amaram:
Parcere digneris miſero mihi, crimina delens
Omnia qvæ admiſi (heu) mentis caligine cæca,
Atqve animam patiare meam reqvieſcere cœlo.
Tu liber interea diverſa per oppida curre,

Invidiam ſubiture gravem: nam multus ubiqve
Oblatrator erit, cujus lacerabere morſu.
Non deerunt certè, qvi cum nil edere poſſint
Dignum laude, tamen gaudent maledicere ſemper,
Carpendisqve aliis famam venantur inanem:
Hos tu lividulos catulos, orisqve maligni,
Exoſus refuge, & doctos inqvire bonosqve,
Qvi pauci ſunt: ſed paucis potes eſſe beatus.
Nimirum pauca in terris Deus optima gignit.
Hos reverenter adi, & merces his exere noſtras.
Qvas ſi laudarint, ſatis eſt: qvid cætera dicat
Turba parum cura, & vulgi convicia ride.
Judicium vulgi inſulſum, imbecillaqve mens eſt:
Stulta placent ſtultis: obſonia qvisqve palato
Digna ſuo qværit, non omnibus una voluptas:
Sed docti atqve boni qvæ ſunt pia, vera & honeſta,
Auſcultant; avidèqve legunt, diſcuntqve libenter,
Hic cibus illorum eſt, hæc conſolatio mentis.
Talibus ergo viris (niſi me præſagia fallunt)
Gratus eris, vultuqve hilari ſpectabere ab illis.
Vade igitur felix liber, & longiſſima vive
Tempora: qvumqve meos tellus obduxerit artus,
Tu varios populos diverſaqve regna ſuperſtes
Qvære, ſtudeqve meum latè diffundere nomen.

FINIS.



INDEX

INDEX

Rerum & Verborum toto hoc opere memorabilium.

Primus Numerus paginam, secundus versum denotat.

X Affe-

Cœl

C.

Famæ

Hecto-

Mens

Par-

ad

Super-

V.

Vir-

FINIS.



69 **PALINGENIUS** (Marcellus) Zodiacus vitae, hoc est, de hominis vita, studio ac moribus optimè instituendis, Libri XII, *the title printed within a framework of the Signs of the Zodiac*, sm. 8vo, pp. 315 ; [37] ; *boards, calf spine, Amstelodami, apud Ioannem Ianssonium*, 1628 **£15**

dtd LONDON 1970

The twelve poems describe the Signs of the Zodiac, and the prospects of persons born when the omens are favourable.

70 —— Zodiacus vitae, de vita studio, ac moribus hominum optime instituendis, Libri XII . . ., *with an engraved title-page*, sm. 8vo, pp. [12] ; 284 ; [34] *contemp. vellum, Rotterodami*, 1698 **£7 10s**

